BSB Bayerische StaatsBibliothek

Münchener DigitalisierungsZentrum
Digitale Bibliothek

Azzoguidi, Valerio F.

De origine et vetustate civitatis Bononiae priscae regum Etruscorum sedis Chronologia disquisitio

Bononia 1716

4 Ital. 36 f
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10051542-6

Copyright

Das Copyright für alle Webdokumente, insbesondere für Bilder, liegt bei der Bayerischen Staatsbibliothek. Eine Folgeverwertung von Webdokumenten ist nur mit Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek bzw. des Autors möglich. Externe Links auf die Angebote sind ausdrücklich erwünscht. Eine unautorisierte Übernahme ganzer Seiten oder ganzer Beiträge oder Beitragsteile ist dagegen nicht zulässig. Für nicht-kommerzielle Ausbildungszwecke können einzelne Materialien kopiert werden, solange eindeutig die Urheberschaft der Autoren bzw. der Bayerischen Staatsbibliothek kenntlich gemacht wird.

Eine Verwertung von urheberrechtlich geschützten Beiträgen und Abbildungen der auf den Servern der Bayerischen Staatsbibliothek befindlichen Daten, insbesondere durch Vervielfältigung oder Verbreitung, ist ohne vorherige schriftliche Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig und strafbar, soweit sich aus dem Urheberrechtsgesetz nichts anderes ergibt. Insbesondere ist eine Einspeicherung oder Verarbeitung in Datensystemen ohne Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig.

The Bayerische Staatsbibliothek (BSB) owns the copyright for all web documents, in particular for all images. Any further use of the web documents is subject to the approval of the Bayerische Staatsbibliothek and/or the author. External links to the offer of the BSB are expressly welcome. However, it is illegal to copy whole pages or complete articles or parts of articles without prior authorisation. Some individual materials may be copied for non-commercial educational purposes, provided that the authorship of the author(s) or of the Bayerische Staatsbibliothek is indicated unambiguously.

Unless provided otherwise by the copyright law, it is illegal and may be prosecuted as a punishable offence to use copyrighted articles and representations of the data stored on the servers of the Bayerische Staatsbibliothek, in particular by copying or disseminating them, without the prior written approval of the Bayerische Staatsbibliothek. It is in particular illegal to store or process any data in data systems without the approval of the Bayerische Staatsbibliothek.

Ital.
36
f

Storia di Bologna.

~~Ms. I. 80 11.~~

Q lin I 11 11

Ital. 36 f. 4°

Azzoguidi

10051542

10051542

10051542

10051542

DE ORIGINE ET VETUSTATE CIVITATIS BONONIÆ

Priſcæ Regum Etruſcorum Sedis.

CHRONOLOGICA DISQUISITIO

VALERII FELICIS AZZOGUIDI BONONIENSIS

Illuſtriſſimis, & Excelſis

VEXILLIFERO JUSTITIÆ, ANTIANIS, AC SENATORIBUS CIVITATIS, POPULI, ET COMMUNIS BONONIÆ

DICATA.

BONONIÆ, M.DCC.XVI.

Typis Julii Roſſi, & Socc. ad Vexillum Roſæ.
Superiorum permiſſu.

10051542

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

ILLUSTRISSIMI, ET EXCELSI DOMINI.

Quòd præ ceteris ſibi conjunctis carior Patria ſit habenda, erga quam quiſque debet benevolam quamcumque præbere actionem, et quæ manſura, et duratura, et non quæ evaneſcentem memoriam excitent tribuenda ſint, Doctiſſimi Senecæ fuit ſententia. Mihi autem (cum per otium licuit) aliquando cogitanti Hiſtoricos, qui hucuſque de ORIGINE Patriæ meæ

dissseruerunt, illam aut non attigisse, aut in tenebrosa suæ VETUSTATIS *caligine dereliquisse, Visum est benemeritæ Patriæ nativitatem illustrare, eamque ad certum, et incontrovertibile tempus producere hoc rudi, ac brevi Commentario, ex tenuissima ingenii mei penu deprompto; Quod qualecumque sit, Excelsis Dominationibus Vestris humiliter offero, atque commendo; Quo in opere licèt exiguo, quantum elaborarim, quantumve industriæ, ac Studii adhibuerim, præsertim in efformando Seculorum calculo à Sacra Scriptura decerpto, aliorum malo esse judicium. Vobis igitur amantissimis Patriæ Patribus jure hic Libellus nuncupari debet, qui in administranda hujusmodi Republica, prudentia, consilio, magnanimitate,*

te, ac liberalitate, omni genere laudis, tum apud Sanctam Sedem Apostolicam, tum per universam Italiam semper digni habiti estis. Vestram itaque Clementiam obsecro, et obtestor, ut non exiguitatem, et imbecillitatem scripti Libelli, sed propensum, ac filialem scribentis affectum intueri dignemini, memores Chrysippi Sententiæ dicentis: Beneficia beneficiis vincenda esse, exiguumque libenter tribuere Regum opes animo æquari.

Excelsarum DD. VV.

Bononiæ à Christo nato Secul. XVII. Lustr. duobus, ac Trieteride.

Humillimus Deditissimus, & Obsequentissimus
Valerius Felix Azzoguidi.

De

10051542

De Origine, & Vetuſtate Civitatis Bononiæ.

Tſi à pluribus graviſſimis Viris De ORIGINE, & STATU ANTIQUO Civitatis BONONIÆ, in Italia luculentèr diſſertum fuerit, & præ ceteris, à Reverendiſſimo Joanne Baptiſta Aguccio Amaſiæ Archiepiſcopo in ejus Epiſtola Canonico Bartholomæo Dulcini Hiſtorico directa, ambobus Concivibus meis perenni laude digniſſimis; Nihilominus, quia experientia compertum eſt, nil ſtabile ſub Sole, ac omnia VETUSTATIS caligine obliterari, nonnulla pauca ex ipſo Aguccio, ac Benedicto Morando Oratore facundiſſimo, etiam Concive meo, & ab aliis antiquis, & modernis eruditis Authoribus in Compendium perſtrinxi, & Poſterorum memoriæ tradere decrevi, ſolius ſtudii mei erga Patriam,

triam, & Patriæ Patres Argumento, non ignorans, me nihil Gloriæ, majorisve decoris ipsi Patriæ allaturum fore, sed tantummodò, ut brevissimo eloquio Antiquitatis, ac Nobilitatis hujus Regię Civitatis, perenniter elucescat, & servetur hoc, licet exiguum Monumentum.

Quia verò de hujusmodi ANTIQUITATE hucusque incerta disserendum est, operæ pretium erit à Seculis incohare, & Mundi Ætates prępmittere, ut descendendo ad expositionem Rerum gestarum, Antiquitas ipsa certior fiat, ac magìs clarescat.

ÆTates Mundi sunt Sex, quæ ad similitudinem Ætatum Hominum accipiuntur, & à Diversis diversimodè assignantur.

Prima Ætas incæpit à creatione Mundi, & duravit usque ad Diluvium Universale, habuitque annos 1656.

Secunda ortum habuit à Diluvio, & duravit usque ad nativitatem Abrahæ, & habuit annos 290.

Tertia Ætas orta est à nativitate Abrahę, & duravit usque ad initium Regni David, & habuit annos 1156.

Quarta incohavit ab initio Regni David, & duravit usque ad Transmigrationem Babylonis, & habuit annos 474.

Quinta Ætas incæpit à Transmigratione Babylonis, & duravit usque ad Sanctissimam Nativitatem D. N. JESU CHRISTI, & habuit annos 520.

At quia in supputatione annorum prędictarum Ætatum Scriptores sunt valdè discordes, ideo à Sac. Genesi calculus sequens desumptus fuit, modo quo infra.

Annorum 130. Adam genuit Seth, Vixitque annos	930
Annorum 105. Seth genuit Enos, vixit annos 912. quibus additis dd. annis 130. fiunt Anni	1042
quo anno d. Seth obiit, & supervixit Patri annis	112
	1042

An-

Anni Vitæ Adam 930
Anni ſuperviventiæ Seth 112

1042

Annorum 90. Enos genuit Cainam, vixit annos 905. quibus additis dd. annis 130., & 105. fiunt anni 1140
quo anno d. Enos obiit, & ſupervixit Patri annis 98

1140

Annorum 70. Cainam genuit Malaeel, vixit annos 910. quibus additis dd. annis 130. 105., & 90. fiunt anni 1235
quo anno obiit ipſe Cainam, & ſupervixit Patri an. 95

1235

Annorum 65. Malaeel genuit Jared, vixit annos 895. quibus additis dd. annis 130. 105. 90., & 70. fiunt anni 1290
quo anno ipſe Malaeel obiit, & ſupervixit Patri an. 55

1290

Annorum 162. Jared genuit Henoch, vixit annos 962. quibus additis dd. annis 130. 105. 90. 70., & 65. fiunt anni 1422
quo anno ipſe Jared obiit, & ſupervixit Patri annis 132

1422

Annorum 65. Henoch genuit Mathuſalem, vixit an. 365. quibus additis dd. annis 130. 105. 90. 70. 65., & 162. fiunt anni 987
quo anno ipſe Henoch ab hoc mundo ſublatus eſt.

Annorum 187. Mathuſalem genuit Lamech, vixit annos 969. quibus additis dd. annis 130. 105. 90. 70. 65. 162., & 65. fiunt anni 1656
quo anno ipſe Mathuſalem obiit, & ſupervixit Avo an. 234

Annus quo obiit Mathusalem 1656

Annorum 182. Lamech genuit Noe, vixit annos 777. quibus additis dd. annis 130. 105. 90. 70. 65. 162. 65., & 187. fiunt anni 1651
quo anno ipse Lamech obiit.

Annorum 500. Noe genuit Sem, vixit annos 950. quibus additis dd. annis 130. 105. 90. 70. 65. 162. 65. 187., & 182. fiunt anni 2006
quo anno ipse Noe obiit, supervixit Avo annis 350

2006

Annorum 100. Sem genuit Arphaxad, vixit annos 600. quibus additis dictis annis 130. 105. 90. 70. 65. 162. 65. 187. 182., & 500. fiunt anni 2156
quo anno ipse Sem obiit, supervixit Patri an. 150

2156

Annorum 35. Arphaxad genuit Sale, vixit annos 438. quibus additis dictis annis 130. 105. 90. 70. 65. 162. 65. 187. 182. 500., & 100. fiunt anni 2094
quo anno ipse Arphaxad obiit.

Annorum 30. Sale genuit Heber, vixit annos 433. quibus additis dictis annis 130. 105. 90. 70. 65. 162. 65. 187. 182. 500. 100., & 35. fiunt anni 2124
quo anno ipse Sale obiit.

Annorum 34. Heber genuit Phalegh vixit annos 464. quibus additis dictis annis 130. 105. 90. 70. 65. 162. 65. 187. 182. 500. 100. 35. & 30. fiunt an. 2185
quo anno ipse Heber obiit, supervixit post Sem an. 29

2185

Annorum 30. Phalegh genuit Reu, vixit annos 239. quibus additis d. annis 130. 105. 90. 70. 65. 162. 65. 187. 182. 500. 100. 35. 30., & 34. fiunt an. 1994
quo anno ipse Phalegh obiit.

An-

Annus quo obiit Heber 2185

Annorum 32. Reu genuit Sarugh, vixit annos 239. quibus additis dictis annis 130. 105. 90. 70. 65. 162. 65. 187. 182. 500. 100. 35. 30. 34., & 30. fiunt anni 2024
quo anno ipse Reu obiit.

Annorum 30. Sarugh genuit Nachor, vixit annos 230. quibus additis dictis annis 130. 105. 90. 70. 65. 162. 65. 187. 182. 500. 100. 35. 30. 34. 30., & 32. fiunt anni 2047
quo anno ipse Sarugh obiit.

Annorum 29. Nachor genuit Thare, vixit annos 148. quibus additis dictis annis 130. 105. 90. 70. 65. 162. 65. 187. 182. 500. 100. 35. 30. 34. 30. 32., & 30. fiunt anni 1995
quo anno ipse Nachor obiit.

Annorum 70. Thare genuit Abraham, vixit annos 205. quibus additis dictis annis 130. 105. 90. 70. 65. 162. 65. 187. 182. 500. 100. 35. 30. 34. 30. 32. 30., & 29. fiunt anni 2081
quo anno ipse Thare obiit.

Annorum 100. Abraham genuit Isaac, vixit ann. 175. quibus additis dictis annis 130 105. 90. 70. 65. 162. 65. 187. 182. 500. 100. 35. 30. 34. 30. 32. 30. 29., & 70. fiunt anni 2121
quo anno ipse Abraham obiit.

Annorum 60. Isaac genuit Jacob, vixit ann. 180. quibus additis d. an. 130. 105. 90. 70. 65. 162. 65. 187. 182. 500. 100. 35. 30. 34. 30. 32. 30. 29. 70., & 100. fiunt anni 2226
quo anno ipse Isaac obiit, supervixit post Heber an. 41

2226

Annorum Jacob genuit Ruben, vixit an-

Annus quo obiit Isaac 2226
nos 147. quibus additis dictis annis 130. 105. 90.
70. 65. 162. 65. 187. 182. 500. 100. 35. 30. 34. 30.
32. 30. 29. 70. 100., & 60. fiunt anni 2253
quo anno ipse Jacob obiit, & supervixit Patri an. 27

2253

Ex quo calculo evidenter resultat certa, & indubia supputatio annorum, nedum Primæ, & Secundę Ætatis Mundi, verùm etiam usque ad annum Mundi 2253. ut experientia ejusdem calculi clarè demonstrat.

Cum igitur Thare obierit anno Mundi 2081. & anno 70. suæ ætatis genuerit Abraham, ideò demptis à d. annis 2081. annis 135. in quibus ipse Thare, postquam genuit Abraham supervixit, sequitur quòd Abraham ortum habuerit anno Mundi 1946. & ita resultat, Primam Ætatem usque ad Diluvium continere annos 1656. & Secundam, usque ad Nativitatem Abrahæ continere annos 290.

In supputatione verò annorum Tertiæ, Quartæ, & Quintæ Ætatis calculati sunt anni 720. à Nativitatæ Abrahæ, usque ad exitum Israelis de Ægypto; Jacob enim obiit anno Mundi 2253. quibus adduntur anni 413. in quibus post ejus mortem, Israel moratus est in Ægypto, & constituuntur anni 2666. nam Abraham ortum habuit anno Mundi 1946. quibus additis dictis annis 720. fiunt anni 2666. insuper calculati sunt anni 436. decursi ab egressu Israelis de Ægypto usque ad initium Regni David, ut patet in libro tertio Regum cap. 6. ibi -- *Factum est ergo quadringentesimo octogesimo anno egressionis filiorum Israel de Terra Ægypti in anno 4. Regni Salomonis* -- detrahendo nempe annos 40. Regni David, & quatuor Salomonis, dictisque annis 436. additis dictis annis 720. compertum est effluxos fuisse annos 1156. qui Tertiam Ætatem constituunt.

Similiter calculati sunt anni Regni David, & aliorum

Re-

Regum in Judæ Regno ſucceſſorum uſque, ad Tranſmigrationem Babylonis, & compertum fuit effluxos fuiſſe annos 474. qui conſtituunt Quartam Ætatem.

A Tranſmigratione demùm Babylonis, uſque ad Nativitatem Sanctiſſimam Domini Noſtri JESU CHRISTI, calculati ſunt anni 70. ſervitutis Babylonicæ, quæ finem habuit anno vigeſimo Regni Artaxerſis, qui conceſſit Nehemiæ facultatem reædificandi Hieruſalem auctoritate Prophetiæ Danielis cap. 9. ibi -- *Scito ergò, & animadverte ab exitu ſermonis, ut iterum Ædificetur Hieruſalem*, & quòd dd. anni 70. calculandi ſint à captivitate Sedeciæ, compertum eſt in lib. 4. Regum cap. 25., & in Jeremia cap. 52. Calculati quoque ſunt anni Hebdomadum 69. de quibus in Daniele Propheta, præſupponendo quamlibet hebdomadem continere annos ſeptem, detractiſque à dd. 69. hebdomadibus, hebdomadibus quatuor, & annis quinque, in quibus vixit Sanctiſs. REDEMPTOR Noſter, & ſic calculatis tantùm hebdomadibus 64., & annis duobus conſtituentibus annos 450., & ſupra dictis annis omnibus ſimul congeſtis, compertum eſt effluxos fuiſſe annos 520. qui Mundi Quintam conſtituunt Ætatem; unde à creatione Mundi, uſque ad Sanctiſſimam Nativitatem D.N. JESU CHRISTI, fluxerunt anni 4096. juxtà calculum præmiſſum.

PRI-

PRIMA ÆTAS

Continens Annos 1656. cujus Princeps fuit Adam.

IN Prima Ætate Adam vixit undequaque sanctus, & pœnitentiam fecit diuturnam, filiisque, ac liberis suis præcepta Justitiæ dedit, & postquam à Cain Primogenito suo commissum fuit Fratricidium Abelis sui Secundogeniti, præcepit Seth ejus filio Tertiogenito, & filiis ejus, ut à consortio Cain, & filiorum ejus se abstinerent, neque cum eis matrimonia jungerent; qui Cain, post delictum perpetratum, construxit Civitatem, quam ex nomine filii sui Henoch, vocavit Henochiam, deinde à Lamech ejus Abnepote, involuntariè tamen, occisus fuit, quia *per quæ quis peccat, per hæc, & punitur*; Et ex dicto Lamech primo Bigamię autore nati fuere quatuor filii ex duabus Uxoribus, & sic adulterini, nempè tres masculi, Jabel, Jubal, & Tubalcain, & una fœmina nomine Noema, qui filii, cum subtilioris ingenii prę aliis fuerint, adinvenerunt omnes Artes mechanicas. Jabel enim invenit Tentoria, & Portatoria Pastorum. Jubal Musicam, Citharam, & Organum; Tubalcain opus Fabri in omni opere æris, & ferri, ac artem sculpendi, & Noema artem texturę Lanæ, & Lini pro usu induendi homines, qui usque ad illud tempus Bestiarum pellibus pro Vestibus utebantur; De Cain itaque, & Abel S. Augustinus in lib. 14. de Civitate Dei scriptum reliquit.

Amores duo fecerunt Civitates duas, Terrenam Amor sui usque ad cotemptum Dei. Cęlestem Amor Dei usque ad contemptum sui. Prima in se ipsa. Secunda in Domino gloriatur. Cain pertinet ad Primam, qui primò natus est, & amore sui, & suorum Civitatem in terris condidit. Abel autem ad Secundam pertinet, qui secundò natus est, & tamquam

quam peregrinus, & innocens in terris conversatus est, ac amore Dei passus est per manum Fratris occidi. Unde cum fuerit primus Martyr, Civitatem Celestem incohavit, cujus ipse fuit primus Civis, quia Justus fuit.

A' Seth Tertiogenito Adæ ortum habuit Enos, qui cepit invocare nomen Domini, & à Jared Pronepote ipsius Seth natus fuit Henoch, qui cum placuerit Domino, propter ejus sanctitatem anno 365. suæ ætatis, & à creatione Mundi 987. translatus fuit in Paradisum, ubi vivit in magna Corporis, & Spiritus tranquillitate, usque ad Antichristi adventum, qui Henoch, ut testatur Judas Apostolus in ejus Epistola catholica, prophetavit, & scriptum reliquit, *Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere Judicium contra omnes Impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè egerunt, & de omnibus duris, quæ locuti sunt contra Deum Peccatores impii.*

A' Lamech istius Sancti Henoch Nepote ortum habuit Noe similiter Vir sanctus, qui cum invenerit gratiam apud Deum unà cum Uxore, & filiis suis Sem, Cham, & Japhet, & Uxoribus eorum, preservatus fuit ab Universali Diluvio.

Nam cum filii, & descendentes Seth immemores præcepti primi Parentis, se conjunxerint cum filiabus, & descendentibus Cain, & hinc tota cogitatio cordis eorum omni tempore intenta esset ad malum, Dominus Deus aquarum universali Diluvio anno Mundi 1656. extinxit totum Genus humanum, & omnia animantia, præter Noe, & Uxorem ejus, tres eorum filios, Uxoresque ipsorum, & animantia secum in Arca introducta.

SE-

SECUNDA ÆTAS

Continens annos 290. cujus Princeps fuit Noe, quæ finem habuit Anno 1946.

OBtinuerunt Aquæ Diluvii universum Orbem terrarum centum quinquaginta diebus, & quindecim cubitis altior fuit Aqua super Montes, quos operuerat, & sic deletæ fuerunt omnes Animæ viventes, præter Noe, & eos, qui cum eo fuerunt in Arca præservati. Quingentorum annorum erat Noe, cum Arcam jussu Domini construere cœpit, quam centum annorum spatio complevit, & anno 601. suę ætatis egressus fuit ab illa super Montes Armeniæ, ubi ipsa Arca requievit, ut patet in Sacra Genesi; & descendens in planitiem vicinam, tollensque de Pecoribus, & Volatilibus mundis, obtulit Domino holocaustum, ibique Monumentum Excidii Generis humani Posteris suis reliquit, ubi cum familia diu permansit; Sed cum quælibet Mulier in singulo partu ederet Gemellos masculum, & fœminam, tali fęcunditate brevi tempore Regio illa tot habitantibus affluit, ut opus fuerit alias Sedes illis parare; Unde ipse Noe antedictis ejus Filiis, & eorum Liberis indicavit Asiam, Africam, & Evropam, quas Mundi Partes ipse jam ante Diluvium viderat, misitque Nembroth primogenitum Chus filii Cham cum Colonia in Regionem, quæ postea fuit Chaldæorum, ubi ipse Nembroth Vir robustus in campo Senaar ædificavit Turrim, ex qua postmodum fuit Babylon. Sem cum Colonia misit in Asiam, ubi ipse Sem vocatus postmodum Melchisedech, condidit Urbem Salem, quę postea fuit Hierusalem; Japhet verò obtinuit Evropam.

Qui Japhet, sive Gomer filius ejus primogenitus, qui natus erat tempore Diluvii, sive alius ex ejusdem Japhet filiis

liis anno 100.vel circa,post Diluvium,cum liberis accessit ad Regionem primordialiter vocatam Janiculam, & Enotriam à Noe nuncupato Jano, & Enotrio, & demùm Italiam ab Italo Rege Etrusco, vivente enim Moyse,fit mentio Italiæ in Prophetia Balaam filii Beor,ut in lib. Numeri cap. 24. circa finem. Moyses verò ortum habuit anno 2586. vixit annos 120., & obdormivit in Domino anno 2706. unde infertur Italum Regem Etruscum,à quo ItaliaNomen accepit,fuisse in rerum natura per plura secula ante ipsum Moysen. Nam Franciscus Sansovinus in lib. cui Titulus, *Cronologia del Mondo*, asserit,Tuscum filium Herculis regnasse in Italia anno Mundi 2291. à quo Tusco verosimiliter Etruscorum denominatio processit, & Italum Regem successorem mediatum dicti Tusci regnasse in Italia anno 2336. at, quid quid sit, certum est,quòd illa Pars Italiæ, quæ primitùs habitari cæpit à dicto Japhet, & ejus Colonia, fuit ea, quæ est propè flumen Albulæ nunc Tyberis, ubi regnavit dictus Italus, & ubi ab Ascanio Eneæ Tevcri condita fuit Alba, ex qua Reges Albanorum, & ubi à Lavinia dicti Eneæ Uxore, & filia Regis Latini Etrusci,conditum fuit Lavinium, à quo Latinorum Regum origo processit, ubi demùm condita fuit, & nunc est alma Urbs Roma, ibique in Monte Janiculo sic dicto à Jano, scilicèt Noe, communi omnium Parente constructo Pago; tota Regio subinde habitata, & repleta fuit per dicti Japhet descendentes, & per alias Colonias à Noe successivè illuc transmissas; nam, ipso Noe vivente, refert Philo historicus Hebræus, natos fuisse ex dictis tribus filiis Noe viginti quatuor mille, & centum Viros, ultra Mulieres, & parvulos habentes supra se tres Principes, scilicet Nembroth filium Chus, Jectan filium Heber, & fratrem Phaleg, & Suphene de Stirpe Japhet. Noe verò obiit anno Mundi 2006. ut supra ostensum est, & sic in principio Tertiæ Mundi Ætatis, scilicet annis 60. post finem Secundæ Ætatis Mundi.

Porrò ex ipſius Noe Jani nuncupati deſcendentibus, qui oram Italiæ coluerunt, proceſſu temporis creverunt Populi denominati Aborigines, deinde vocati Umbri, & Etruſci, à quibus condita fuerunt plurima Oppida,& ex his duo Regna compoſita, Umbrorum ſcilicet, & Tuſcorum, inter ſe tamen diſcordia, quos Populos, Strabo, Livius, Plinius, & Halicarnaſſeus concorditer aſſerunt fuiſſe indigenas, & originarios Italiæ, habuiſſe propriam Linguam, Ritus ſacros, Leges, & mores nullo modo communes, aut conformes cum aliis Populis exteris; Qui Populi Umbri, & Etruſci, cum eſſent (ut dixi) diſcordes, poſtquam inter ſe, & cum Pelaſgis, & Siculis, & aliis Populis exteris in Italiam accitis, & medio tempore deletis, plurima bella confeciſſent, tandem Etruſci prævaluerunt, & Umbros pepulerunt ab eorum Sedibus,ac trecenta illorum Oppida ſubegerunt, referente Livio in 5. lib. Decad. primæ, Etruſcos toti Italiæ dominatos eſſe, dicens -- *Tuſcorum, ante Romanum Imperium latè terra, Marique opes patuere, Mari ſupero, inferoque, quibus Italia, Inſulæ modo, cingitur, quantum potuerint, nomina ſunt argumento, quod alterum Tuſcum communi vocabulo Gentis, alterum Adriaticum Mare ab Adria Tuſcorum Colonia vocavere Italicæ Gentes* -- Et inferius -- *Tanta Opibus Etruria erat, ut non Terras ſolùm, ſed Mare etiam, per totam Italię longitudinem ab Alpibus ad Fretum Siculum fama nominis ſui impleret*. Quæ omnia inter dictos Umbros, & Etruſcos geſta, & à Livio enarrata certò certiùs evenerunt in Secunda, & Tertia Mundi Ætate, per plura tamen ſecula ante adventum Eneæ in Italiam, ſi Dionyſio, Virgilio, & Silio Italico credendum eſt, & ut etiam ſequens facti ſeries clarè demonſtrat.

TER-

TERTIA ÆTAS

Continens Annos 1156. quæ finem habuit Anno 3102. cujus Princeps fuit Abraham.

IN hac Tertia Mundi Ætate, cum Abraham eripuerit Lot de manu Chodorlahomor, & aliorum Regum, Melchisedech Rex Salem, qui erat Sacerdos Dei Altissimi, proferens Panem, & Vinum, benedixit ei, ut in Sac. Genesi cap. 14. Iste autem Melchisedech fuit Sem filius Noe, qui ædificavit ipsam Urbem Salem. Cum vero ipse Abraham esset annorum 99. Sodoma, & Gomorra Urbes, & Universa illarum Regio posita in confinibus Arabiæ, & Palestinæ, propter peccatum nefandum, sulfure, & Igne cęlesti consumptæ fuerunt anno Mundi 2045. Anno verò 2046. ipse Abraham, ex Sara Uxore sua suscepit Isaac, qui cum esset annor. 40. Uxorem accepit Rebeccam filiam Bathuelis filii Nachor fratris Abraham, ex qua Rebecca, & Isaac anno Mundi 2106. ortum habuere Jacob, & Esau. Anno verò 2236. cum fames prævaluisset in universo Orbe, præterquam in Ægypto, Jacob filius Isaac, cum esset annorum 130. cum tota ejus familia se recepit in Ægyptum, ubi Joseph filius ejus Præses erat, ibique, post annos septemdecim, occubuit anno Mundi 2253. superviventibus ex ejus femore septuaginta Viris, qui, & eorum successivè descendentes, ibidem per cursum annorum 430. habitantes adeò multiplicati fuerunt, ita ut Ægyptii in suspicionem inducti, eos odio habuerint, & oppresserint, sed Deus Populum suum Divina Virtute, ac mirabilibus Signis, & Portentis, Moyse Propheta mediante, de Servitute, & Regno Ægyptiorum eduxit anno Mundi 2666. Sexcenta millia quingenta, & quinquaginta Viri, ultra Mulieres, & parvulos

educti fuerunt procreati ex descendentibus dicti Jacob in decursu dictorum 430. annorum. Moyses erat annor. 80. cum Israelem de dicto Regno eduxit, & post annos 40. ad Cœlum migravit anno Mundi 2706. & sic annis 700. post obitum Noe. Qualis verò, & quantę Sanctimoniæ fuerit iste Moyses Vir Dei, habetur in Deuteronomio cap. 34. ubi asseveratur: *Non surrexisse ultra in Israel Prophetam sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad faciem, & mortuum sepelivit in Valle Terrae Moab contra Phogor, & non cognovit homo sepulcrum ejus.*

In hac igitur Tertia Ætate Anno Mundi 2637., & sic ante exitum Israelis de Ægypto, Troja, quæ annis 298. ante condita fuerat à Troide, sive Dardano Dardaniæ Rege, hoc tempore extitit subversa dolo Antenoris, & Eneæ, & fertur ipsum Eneam à Græcia venisse in Italiam, & in Latii, ac Latinorum Regione, unà cum Latino Etrusco filio Pici primi Laurentum Regis bellum confecisse contra Turnum Regem Rutulorum, idque evenisse annis 707. priusquam Alma Urbs Roma condita fuerit, & ante adventum D. N. JESU CHRISTI annis 1459. Occasione cujus belli constat Civitatem BONONIAM tunc FELSINAM nuncupatam Comitem fuisse dicto Eneę in bello contra dictum Turnum ex auctoritate Silii Italici Poetæ, & Historici clarissimi, qui in lib. 9. Punicorum bellorum recenset Civitates, quę Romanis auxilium dedere in bello contra Annibalem, inter quas enumerat BONONIAM, de qua sic meminit:

Et quondam Teucris Comes in Laurentia Bella
Ocni prisca Domus, parvique Bononia Rheni.

Demonstrat siquidem dictus Silius Civitatem Bononiæ nedum tulisse auxilium Romanis una cum aliis Civitatibus ibidem enumeratis in bello contra Annibalem

circa

circa annum Mundi 3960., ſed etiam annis 1300., & ultra ante dictum bellum punicum fuiſſe Comitem Teucris, ſcilicet Eneæ contra Turnum, vocatque BONONIAM priſcam Domum Ocni, ſcilicet primam Sedem Regum Tuſcorum, quia conſtat ante adventum Eneæ Etruſcos toti Italiæ dominatos fuiſſe, & ipſam Civitatem BONONIÆ FELSINAM denominatam eſſe, ac Principem Etruriæ fuiſſe, ut de agnomine, & Principatu illius atteſtatur Plinius in 3. libro naturalis Hiſtorię, ubi deſcribens Colonias, & Oppida Octavę Regionis Italiæ, inquit-- *BONONIA FELSINA vocata, cum Princeps Etruriæ eſſet* -- Quæ verba rectè conſtructa exprimunt; Quòd BONONIA, cum eſſet Princeps Etruriæ, vocabatur FELSINA.

Quòd autem dictus Ocnus fuerit Rex Tuſcorum, & Mantuæ Civitatem condiderit, ac illuc deduxerit Coloniam ab ipſa FELSINA ejus Sede Regali, demonſtrat Virgilius Latinorum Poetarum Princeps in lib. 10. Eneidos ibi

Necnon, & Patriis agmen ciet Ocnus ab oris
Fatidicæ Mantos, & Tuſci filius amnis,
Cui muros, matriſque dedit tibi Mantua nomen
Ipſa caput Populis Tuſco de ſanguines Vires.

Et in lib. 8. dum loquitur de adventu Saturni, & aliorum in Italiam, commemorat Tybrim, & Bianorem ejus filium ibi.

Tum Reges, aſperquæ immani corpore Tybris,
A' quo poſt Itali flumen cognomine Tybrim
Diximus, amiſit verum Vetus Albula nomen.

Ex quo Tybri ortum habuiſſe fertur ipſum Ocnum Bianorem nuncupatum, de quo Bianore ipſe Virgilius meminit in Buccolicis ibi.

Nam-

Namque Sepulcrum incipit apparere Bianoris.

Et de facto noſtris etiam temporibus propè hanc Civitatem, ad octavum lapidem, adeſt Caſtrum antiquitus nuncupatum *Blanoro*, nunc verò *Pianoro* ſitum in Via Etruriæ, per quam Romam iter habetur, quod fertur conſtructum fuiſſe à dicto Ocno Tuſcorum Rege, ibique pariter quemdam eſſe locum denominatum *il Sepolcro di Bianoro*.

Conſtat quoque ex dicto Livio, quòd Eneas ſuſceperit Uxorem Laviniam filiam Latini prædicti ex Regibus Etruſcis, ac ſe, & ſuos ſubjecerit legibus, & moribus Etruſcis, & quód dictus Ocnus Bianor nuncupatus, fuerit filius Tyberini in quinto gradu deſcendentis à dicto Rege Latino, teſtantur Virgilius, & Livius lib. 1. Decad. primę, ubi ex dicto Latino ortum habuit Alba, ex Alba Atys, ab Aty Capis, à Capi Capetus, à Capeto d. Tyberinus; Undè infertur Silium prædictum nominando Ocnum, indicaſſe Genus Regum Tuſcorum, non autem perſonam ipſius Ocni, qui diſtat á dicto Latino in ſexto gradu, & cum idem Silius nominaverit BONONIAM priſcam Domum Ocni, pro certo habetur ipſum intellexiſſe demonſtrare illam fuiſſe primam Sedem Regum Etruſcorum, ſive Aboriginum, denominatio enim Aboriginum, Etruſcorum, Umbrorum, ut patet ex dicto Livio, eſt Synonima.

Quòd autem dictus Latinus ſecundus Rex Laurentum Etruſcorum fuerit in rerum natura anno prædicto 2637. elicitur ex quodam Chronicho Herardi Katdolt Auguſtenſis impreſſo Venetiis anno Salutis 1485. in quo Author ponit dictum Regem Latinum ſub anno Mundi 3875. ſed quia in ſupputatione annorum ſequutus eſt 70. Interpretes, qui referunt Annos Primæ, & Secundæ Ætatis Mundi fuiſſe 3184. quando ex Sac. Geneſi clarè conſtat non fore niſi

1946.

1946. ut ſupra oſtenſum eſt; Ideò à dictis annis 3875. detractis annis 1238. in quibus ſupputatio 70. Interpretum exuberat, dignoſcitur dictum Regem Latinum fuiſſe in rerum natura dicto anno 2637. & ſic ante exitum Iſraelis de Ægypto; Sanſovinus etiam ſupra allegatus refert Evandrum Tevcrum Socium Eneæ in Italia extitiſſe anno 2638. & R.P.Jo.Baptiſta Ricciolus in ejus Chronologia in Catalogo 20.Regũ Argivorum refert, Inachum fuiſſe primumRegem Argivorum,& hujuſmodi Regnum duraſſe annos 544. & multò antiquiùs Moyſe fuiſſe; initiũ autem hujus Regni, ex Chronologia HerardiKatdolt habetur fuiſſe anno Mundi 2106. quibus addendo dictos annos 544. ſequitur,quòd illud finem habuerit anno 2650. unde ſi adventus Eneæ in Italiam fuit d. anno 2637. qui fuit annus tertius poſt excidium Trojæ, infertur quòd Troja devaſtata fuerit anno 2634.& ex præmiſſis ſatis comprobatum eſſe videtur tempus adventus d. Eneæ in Italiam.

Poſt autem obitum dicti Regis Latini, Carmentes filia dicti Evandri invenit Literas Latinas, unde Regnum Laurentum dici cepit Regnum Latinorum, ex quo proceſſit Latina Colonia ab Etruſcis originaria BONONIAM deducta, ut infra narrabitur.

Quapropter mihi videtur conſtare evidenter Urbem BONONIAM dudum FELSINAM vocatam,fuiſſe, & eſſe ex primævis Oppidis poſt univerſale Diluvium per dictos Aborigines Etruſcos conſtructis; Nam ſi populi Aborigines, ſeu Umbri, & Etruſci fuerunt indigenæ, & originarii in Italia, uti deſcendentes à Noe, & ſi ipſa FELSINA fuit Princeps, & Prima Sedes ipſorum Regum Tuſcorum, quorum leges, & mores non permittebant eos habitare, niſi Oppida ab ipſismet conſtructa, ut dictus D. Aguccius, & Authores ab ipſo citati de legibus, & uſibus Tuſcorum loquentes, unanimiter aſſerunt; & demum ſi ipſa FELSINA

fuit

fuit Comes Tevcris in bello contra Turnum anno Mundi 2637., non est ergo ambigendum, quòd ipsa non fuerit per ipsos Aborigines Etruscos constructa post Diluvium universale saltem circa principium Tertię Mundi Ætatis, cum illa fuerit Prima Sedes, ac Princeps ipsorum Etruscorum; Primus enim dicitur, quem nullus antecedit; Id etiam suadente, nedum ipsius FELSINÆ denominatione derivante à verbo Hæbraico PHELECH Latinè significante Scutum, vel Propugnaculum; Etrusci enim utebantur primęva lingua Hæbraica; verùm etiam ipsius Urbis structura crebris Porticibus, ac Turribus, undique munita Etruscorum more, illiusque Vetustatis innumerabilia argumenta habita sunt, & habentur quotidie, cum illius Subterranea effossa sunt, & sępe sępius effodiuntur, in quibus antiquissimæ Civitatis vestigia quamplurima reperta fuerunt, & reperiuntur ultra pedes duos, & viginti subtus presentem superficiem, & mihi retulit Antonius Albertolius Faber murarius modò vivens, se, cum operam suam daret in fodiendis fundamentis Palatii Universitatis nuncupatę DE STRAZZAROLI siti in Platea Portæ Ravennatis à latere versus Torrentem Aposæ, invenisse duas Portas marmoreas, valde amplas, & eleganter elaboratas in profunditate pedum viginti vel circa.

Nec referre mihi visum est assertionem dicti D. Aguccii dicentis Originem FELSINÆ ante conditam Urbem esse annorum 500., advertendum enim est, quod adventus Eneę in Italiam evenit annis 707. ante ipsam Urbem conditam, quo tempore Etrusci dominabantur toti Italię, & tunc FELSINA erat valdè potens ex authoritate dicti Silii dicentis, FELSINAM fuisse Comitem Tevcris, quod verbum -- *Comes* -- exprimit non leve, sed validum, & sociale auxilium, ac magis urgente eodem Silio dicente, BONONIAM fuisse priscam, idest, Primam Sedem Regum Etrusco.

ſcorum,qui cum per plura ſecula ferè continuatum egerint bellum cum Umbris eorum Æmulis, & Contribulibus, illoſque demùm ſubegerint, ac toti Italiæ dominati fuerint, & dominarentur,antequam d. Eneas in Italiam accederet, & cum hæc Civitas fuerit Primum Oppidum per ipſos Etruſcos conſtructum, & ipſi Etruſci fuerint Aborigines, & indigenę Italiæ, quomodò igitur aſſeri poteſt Urbem prædictam FELSINAM conſtructam fuiſſe per ſolos annos 500. ante Urbem Romam? Magis ergò probabile eſt, quòd ipſum FELSINÆ Oppidum fuerit per dictos Etruſcos conſtructum tempore, quo ipſi ſe diviſerunt ab Umbris, quam diviſionem rationibus præmiſſis, ac facti circumſtantiis attentis, nequit præſumi, niſi in principio Tertiæ Mundi Ætatis, & ſic annis 290. poſt Diluvium; occaſione enim talis Diviſionis probabile eſt, quòd Etruſci ad tuendam eorum Provinciam,conſtruxerint dictum Oppidum, illudque Scutum, ſeu Propugnaculum denominaverint; unde Origo hujus Urbis FELSINÆ ab initio Tertiæ Ætatis, uſque ad annum 1631. quo tempore dictus Aguccius de illa ſcripſit eſſet annorum 3781., & uſque ad annum 1713. in quo hæc ſcribo,eſſet annorum 3863., & juxtà calculum præmiſſum, FELSINA fuit conſtructa annis 1398. ante Almam Urbem Romam, & annis 2150. ante Chriſtum natum.

Retinuit hæc nobillima Civitas FELSINA agnomen, & Principatum, Regni Etruſcorum ab ejus ædificatione, uſque ad Quintam Mundi Ætatem, nempè uſque ad annum Mundi 3509., & ſic per curſum annorum 1563. in quibus continuata ſerie fuit Sedes, ac Metropolis Regum Etruſcorum, qui toti Italiæ ſumma Virium, & opum potentia, uſque ad hæc tempora dominati fuere.

QUARTA ÆTAS

Continens annos 474. quæ finem habuit Anno 3576. cujus Princeps fuit David.

IN Quarta verò Ætate, nempe Anno Mundi 3344., & sic annis 752. ante Christum natum, in Monte Palatino à Romulo, & Remo Fratribus natis à Rea Silvia filia Numitoris, ex Virginibus Vestalibus, & ex Patre incerto, ob quod stuprum, ipsa Rea Silva viva humi sepulta occubuit; qui Numitor erat ex descendentibus Eneæ Teveri, & Laviniæ filiæ Latini Regis Laurentum, Roma condita fuit, Authore d. Livio, & Anno Mundi 3509., & ab ipsa Urbe condita 165. Sub Tarquinio Prisco quinto Romanorum Rege diversæ Gallorum Gentes in Italiam transierunt, & diversas Italiæ partes occuparunt, ut refert idem Livius in 5. lib.; Unde à Gallis Boys Oppidum prædictum FELSINA subactum fuit, ac Etruscis ejectis, tota ejusdem Regio quæ à meridie erat contermina Rubiconi Flumini, & itidem FELSINA dicebatur, ab ipsis Gallis Boys GALLIA fuit nuncupata, & per ipsos Gallos diu habitata, Etruscis in Montes Rhetios receptis, & ipsum Oppidum non amplius FELSINA, sed BOYONA appellatum est, & similiter Flumen propè illud decurrens priùs FELSINUM vocatum, ab ipsis Gallis Rhenum fuit nuncupatum.

QUIN-

QUINTA ÆTAS

Continens Annos 520., quę finem habuit Anno Mundi 4096. cujus Principes fuerunt Jeremias, & alii Sancti Prophetæ.

IN Quinta Ætate, & etiam præcedente, inter Hebræos floruerunt plures Sancti Prophetæ, qui prædixerunt D. N. JESU CHRISTI Nativitatem, finem Legis Mosaicæ, & dispersionem Nationis Hebræorum; præsertim verò Daniel cap. 7. prædixit quatuor Regna futura, Sanctosque Dei Altissimi suscepturos fore Regnum, quod obtinebunt in seculum, & seculum seculorum. De quarto Regno prædixit, quod majus erit omnibus Regnis, & devorabit universam Terram, & conculcabit, & comminuet eam. Tria Monarchica Regna, Medorum scilicet, Persarum, & Romanorum jam diu fuerunt, & extincta sunt; Quartum verò Regnum ceterorum longè potentius, & durabilius, per secula undecim adhuc viget totius falsitatis, & abhominationis complementum, cujus finem solus novit Deus.

In hac igitur Quinta Ætate, sicuti Tuscorum Regnum fuerat gloriosum, dum FELSINA illius Princeps esset, non minus tamen gloriosum fuit Regnum ipsorum Gallorum, qui Viribus, & potentia, non solùm majorem Italiæ partem occuparunt, & ex ea Tuscos ejecerunt, sed etiam adeò valuerunt, ut ferè Romanum tunc temporis non benè validum deleverint Imperium; quippe, ut refert idem Livius in eodem 5. libro Anno Mundi 3709., & ab Urbe condita 365. Galli, fusis Romanis, Urbem Romam, præter Capitolium, Duce Breno, cęperunt, prædarunt, & incenderunt, adeò ut Romani in desperationem acti, duxerint ad Vejos migrandum esse, quod, & fecissent, nisi intercessisset

Fur. Camilli prudentia, ideoque Romani in odium Gallorum taliter exarserunt, ut nunquam illud extinxerint, donec longissimis Bellis per cursum annorum 196. continuè peractis, ipsos Gallos subegerint, & in Civitates ipsis Gallis subtractas, Romanas, & Latinas deduxerint Colonias; quippe cum annis 396. Galli ibidem habitassent, usque ad completum secundum Bellum punicum, & postquam à Scipione majore Romanorum Duce Carthago subacta fuit, plurimis inter Gallos, & Romanos Bellis actis, ut refert idem Livius in lib. 33. 34. 35., & 36. Tandem Pub. Cornelius Scipio Nasica Consul Boyos victos in deditionem recepit, eosque mulctavit, dimidia parte agri, & de eis gloriosè triumphavit, referente eodem Livio in d. lib. 33. Romanos contra Boyos expeditionem fecisse per Tribum Sappinianam, ex qua Tribu fortasse Torrentem Sappinæ decurrentem apud ipsam nostram Urbem denominationem verosimilitèr suscepisse argui potest, præsertim cum ipsa Tribus habuerit Castra per multos menses contra dictos Gallos propè dictum Torrentem.

Anno autem eodem, quo Romani Pacem inierunt cum Antioco Rege Siriæ, ut refert idem Livius in lib. 37. tertio Calendas Januarias BONONIAM, Latinam Coloniam, ex Sen. Cons. L. Valerius Flaccus, M. Attilius Serranus, & L. Valerius Tappus Triumviri deduxerunt. Tria millia Hominum sunt deducta, Equitibus septuagena, cęteris Colonis quinquagena Jugera sunt data. Ager captus de Gallis Boys fuerat. Galli Tuscos expulerant.

Unde Oppidum, quod priùs ab Etruscis FELSINA, & ab ipsis expulsis Boys BOYONA dicebatur, de cæterò elegantiori Vocabulo BONONIA appellatum est, anno ab Urbe condita 561., & à creatione Mundi 3905.

Horumque Gallorum Boyorum in hac Civitate nulla alia superest memoria, nisi denominatio cujusdam Viæ publi-

blicę, quæ vocatur *Campo de Boii*, & alius Vię publicę, quę vocatur *Bigato*, quod Vocabulum fortè derivationem suscepit à specie quorumdam nummorum dictorum Gallorum Boyorum, referente dicto Livio in d. lib. 37. P. Scipionem, qui triumphum obtinuit de dictis Boys, distribuisse inter suos Milites certam quantitatem Bigatorum nummorum de Spolio facto dictis Gallis Boys.

Mutinam, & Parmam eodem ferè tempore Colonia Romana deducta fuit. Binamillia Hominum in Agro, qui proximè Boyorum, ante Tuscorum fuerat. Octona Jugera Parmæ. Quina Mutinæ acceperunt, ut ex d. Livio in fine lib. 39.

At quia dubitari contingit, an Colonia Romana nobilior esset Colonia Latina, precor benignum Lectorem animadvertere primò Originem utriusque Colonię. Certum enim est Coloniam Latinam originem habere à Latino Etrusco Laurentum Rege, cujus Regnum postea denominatum fuit Latinorum propter inventionem Latinarum literarum, ut supra dictum fuit; Coloniam verò Romanam Originem habere à Romulo, qui congregavit Pastores, & Latrunculos, cum quibus Civitatem extructam, sive ampliatam implevit, & per illam alios circumstantes Populos Etruscos vi oppressit, tyrannidemque exercuit, ut scripsit Orosius lib. 2. contra Paganos. Secundò. Honorem, & Pœnam quo, & qua utraque Colonia donata erat, & respectivè afficiebatur. De honore. Constat in Colonia Latina BONONIAM deducta, comprehensos esse Equites, in Colonia verò Romana Parmam, & Mutinam deducta, nullos, sed ipsam summopere fuisse inferiorem, tum in quantitate, & conditione Virorum, tum in distributione Agrorum; nec mirùm, quia Latina Colonia composita erat de Viris Etruscis indigenis, & originariis Italię, Romana verò de Gente collectitia, & vili. De Pœna verò Livius lib. 30. hęc refert --

De

De profugis gravius, quàm de fugitivis consultum. Nominis Latini, qui erant Securi percussi. Romani in Crucem sublati sunt. Ex his igitur opinor judicium benigni Lectoris futurum pro Latina Colonia; Causa autem, ob quam Latina Colonia deducta fuerit BONONIAM, & non Parmam, neque Mutinam, satis evidens videtur; nam cum BONONIA, aliàs FELSINA, fuerit ab Etruscis constructa, & fuerit illorum prisca Sedes, ac ab ea ipsi fuerint expulsi à Gallis, æquum fuit, ut Gallis expulsis, Civitas redderetur primęvę suę Genti Etruscę. Parmam verò, & Mutinam Colonia Romana deducta fuit, quia non constat eas ab Etruscis constructas fuisse.

Cum igitur hæc Civitas effecta fuerit Latina Colonia à M. Æmilio Lepido, & C. Quintio Flaminio Coss. anno ab Urbe condita 567., & ante Christum natum 185. duæ Viæ ab hac Urbe una nempe vocata FLAMINIA, usque ad Aretium, altera Placentia ad Ariminum usque, ÆMILIA appellata perductæ fuerunt, deinde ab Augusto magnificis Idolorum Templis, Termarumque Ædificiis pro usu publicorum Balneorum, & Accademię literariæ ornata fuit; Et cum incendio casuali, majori ex parte consumpta fuisset, Claudius Cæsar, perorante in Senatu Nerone Cęsare illam restauravit, impensa ducentorum quinquaginta mille aureorum anno ab Urbe condita 806., & à Christo nato 54., quo tempore, per S. Appollinarem Ravennę Episcopum, ipsa Civitas, jam primùm Sancti Evangelii verbum feliciter susceperat.

Plures Cives in hac Quinta Ætate in Literis, & Sciencijs clari floruerunt, inter quos Cajus Rusticellus Orator celebris in Lingua Græca, & Latina versatus, ac mirandæ fortitudinis, de quo mentionem fecit Cicero in lib. de Claris Oratoribus. Lucius Pomponius Comediarum Attellanarum author. M. Blesius Cottius Philosophus, & Orator

facun-

facundus, ac Rufus Poeta viridi in ętate defunctus à Martiale Laudatus.

Et sicuti in Alma Urbe Mons Janiculus nuncupatus postea Tarpejus, & novissimè Capitolium fuit, est valdè celebris, & memorabilis, Ita etiam in hac Urbe, nempe inter Ecclesiam S. Silvestri, ac Domos, & Turrim olim illorum *De Cacciianemici*, ab Oriente, & publicum Archigymnasium ab Occidente, ante Viam nuncupatam de *Toschi*, ab ipsa Latina Colonia erectum fuit quoddam Ædificium eminens vocatum Arx Tarpeja, in quo conveniebant Judices, & Jurisperiti, quod antiquissimum Tarpejæ vocabulum Collegium Notariorum loco Conventus Judicum, & Jurisperitorum medio tempore suffectum semper retinuit, & adhuc retinet in loco, ubi conveniunt DD. Corrector, & Consules, qui locus denominatur Tarpeja.

Plurima quoque Monumenta Virorum illustrium, rerumque gestarum in hac Urbe tempore Romani Imperii reperiuntur his temporibus relata à D. Co. Cęsare Joseph Malvasia Equite Patritio Bonon. in libro inscripto *Marmora Felsinea*.

Et de his quoque à doctissimo Philosopho Medico, & in aliis Scientiis versatissimo Ovidio Montalbano copiosè scriptum est in lib. inscripto *Helioscopia*, sive *il Colosso Istorico di Felsina antica*, in quo seriatim enumerat Familias Latinæ Colonię, quę BONONIAM traductę fuerunt anno ante Christi Nativitatem 191., quæ Colonia Latina composita erat ex Tribubus Populi Romani, inter quas antiquiores aderant Tribus Romilia in ordine quinta, & Galeria in ordine octava, & Sabbatina de addiectis anno ab Urbe condita 369., & inter dictas Familias recenset *la Vettia*, *la Bruttia*, sive *Combruttia*, *la Rusticella*, *la Cottia*, *la Lollia*, *la Guinicella*, *la Sabbatina*, *l' Asinia*, sive *Asinella*, *l' Attia*, *la Peppa*, *la Roscia*. &c. Et certè in hac eadem Ur-

be

be extat Via dicta *de Combrutii*, alia denominata *Galliera*; quæ ultra sexdecim mille passus se protendit ad Terram hujusmodi denominationis, ubi seculis præteritis extabat Oppidum cum Burgis valdè amplum nuncupatum *Galliera*, cujus Gubernio quinque Cives præerant; & extra portam S. Donati est locus valdè amplus nuncupatus *la Vettia*, & in Villa Bagnarolę superioris extat alia Via ampla, & longa, quæ vocatur *Romilia*, & corruptè *Romeggia*, & jam extinctæ sunt plures Familiæ, quæ agnomina della *Vettia*, *Combruttia*, *Rusticella*, & similia ferebant.

Non incongruum interim visum est hic referre memorabilem totius Imperii Romani divisionem in hac Quinta Ætate, & nempè annis 41. ante Christum natum initam in Agro Bononiensi, inter Flumen Samodiæ, & alterum Lavini loco qui dicitur *Predosa*, scilicet *Zeola Predosa*, inter Æmilium Lepidum, Marcum-antonium, & Octavianum Triumviros, de qua Divisione in Territorio Bononiensi sequuta, adhuc in Alma Urbe Roma refert Onuphrius Panvinus extare Lapideum Monumentum, & ut etiam Svetonius in Vita Augusti, Florus lib. 4. cap. 6. & Dio lib. 46. unanimiter asseruere.

Similiter placuit hic inserere quoddam famigeratum Enigma ob ejus pulchritudinem pluries instauratum, positum in eodem *Agro Bononiensi*, & in loco nuncupato *Casaralta*, super cujus sensus explicatione quamplurium eruditorum docta elaborarunt ingenia, quod est hujusmodi tenoris.

ÆLIA LELIA CRISPIS
Nec Vir, nec Mulier, nec Androgena
Sed omnia.
Nec Puella, nec Juvenis, nec Anus,
Nec Casta, nec Meretrix, nec Pudica,
Sed omnia.

Su-

Sublata neque Ferro, neque Fame, neque Veneno,
Nec Igne, nec Peste,
Sed omnibus.
Nec Cęlo, nec Aquis, nec Terris,
Sed ubique jacet
LUCIUS AGATHO PRISCUS
Nec Maritus, nec Amator, nec Necessarius,
Neque merens, neque gaudens, neque flens,
Hanc
Neque Molem, neque Pyramidem, neque Sepulcrum.
Sed omnia.
Scit, & nescit cui posuerit.

Et quidem ambigendum non est hujusmodi Carmen enigmaticum editum fuisse in seculis proximis fini dictę Quintæ Ætatis, idest post deductionem Latinæ Coloniæ in hanc Urbem, quæ fuit facta prædicto anno Mundi 3905., & annis 191. ante epocam Christi, id suadente forma literarum Latinarum, & nomine Lucii Agathonis Prisci authoris ejusdem Enigmatis, super quo, licèt plures ingegniosissimæ proditę fuerint explicationes; nihilominus mei tenuitate ingenii ausus sum meam quoque aperire Sententiam. Arbitratus enim sum ex dictis primis tribus verbis -- *Ælia*, *Lelia*, *Crispis*, -- deducendum esse Annagramma, quo efformato prodita sunt Tria alia totidem verba sequentia;

IRIS COELI ELLAPSA.

At quia supereſt unica tantùm litera I., quæ otiosa remanere nequit, illam censui vertendam in adverbium --*Jam*- quod correspondet verbo - *Sublata* -- Quamobrem Enigma prædictum Iridem Cœli, jam ellapsam demonstrare puto.

SEXTA ÆTAS

Cujus Princeps fuit, & est Sanctissimus Dominus Noster

REDEMPTOR JESUS CHRISTUS.

CUM autem Anno 4. Olimpiados 194., nempè anno 776.ab initio Olimpiadum ab Iphito instauratarum, ut refert R. P. Jo. Baptista Ricciolus inChronologia reformata, reducendo enim dictos annos 776. in Olimpiades, emergunt tantùm prefatæ Olimpiades 194.in calculo quarũ convenit quoqueHenricus Glareanus in ejus Chronologia,propè Bethlehem in Provincia Judeæ illius administratore Herode paterno genere Idumeo,& materna stirpeArabe ab Augusto constituto, & sic, defectis Principibus Judeorum ex Tribu Judæ Phylargi, juxtà diu ante præconizatum fuerat à Patriarca Jacob, & ab aliis Sanctis Prophetis, circa finem annorum Mundi,Dominus Noster JESUS CHRISTUS verus Deus, & verus Homo ex Sanctissima VIRGINE MARIA de stirpe David ex SPIRITU SANCTO Conceptus anno 42. Imperii Octaviani Augusti, juxtà Chronologiam Riccioli prædicti,nasci dignatus fuerit, et Redemptionem totius Generis Humani sævissima morte sub Pontio Pilato Romanorum Præside apud Hierusalem impleverit, à die illius Sacratissimi ortus sequuti die 25. Decembris anno Mundi 4096., & ab Urbe condita 752. incohavit Sexta Ætas præcipua Christianorum Era, quæ Sexta Ætas à Divo Augustino assimilatur Senectuti: Olimpias prima cœpit annis 24. ante Urbem conditam, & sic anno Mundi 3320., & cum dictæ Olimpiades 194. constituant annos 776., quibus addendo dictos annos 3320. emergunt anni 4095. in quibus incohavit Era vulgaris Christi.

Bea-

Beatissimus Petrus Apostolorum ejusdem D. N. JESU CHRISTI Princeps, Pontificatum obtinuit annis 34. nempè in partibus Orientis annis quinque, secundum Hieronymum; in Antiochia annis septem, & in Alma Urbe Roma annis 22. ad quam Urbem Claudio Romanum Imperium obtinente ab Antiochia accessit cum Discipulis, inter quos aderat Appolinaris Antiochenus, unus ex 72. Discipulis Christi, qui à prædicto Divo Petro anno 44. consecratus fuit Episcopus Ravennæ, eòque missus ad prædicandum Christi Evangelium, & à dicto Sancto Appolinare paulò post à Ravennatibus, plagis, & contumeliis affecto, & in exilium acto, ac in Æmilia Regione prius FELSINA denominata, palam Christi Fidem exponente in hac Civitate BONONIAE primum Sancti Evangelii verbum habitum fuit, ut asserit Ricciolus in dicta ejus Chronologia, in Catalogo 18. Episcoporum Bononiensium, & cum Filiam Rufini Viri illustris, & Patritii defunctam signo Sanctę Crucis ad vitam revocaverit, Tota Familia ipsius Rufini, & aliqui Incolæ hujus Urbis S. Evangelium feliciter susceperunt, & illa pars Civitatis, quæ primitùs Evangelio credidit, in publica Via erexit Signum Sanctę Crucis, & processu temporis, Deoque favente, tota Civitas S. Evangelium amplexa fuit, & sic in quatuor Viis principalioribus ejusdem Civitatis erectæ fuerunt quatuor Cruces, postmodum in formam Sacellorum redactæ, & inde quatuor Consortia Præsbyterorum dicta Sacella, & Ecclesiam Bononien. tunc rexerunt, quæ Cruces, & Consortia his temporibus adhuc extant, & primævam denominationem, & formam retinent, nempè *la Croce, e Consortio di Porta Ravegnana, la Croce, e Consortio di Porta Piera, la Croce, e Consortio di Porta Stiera, la Croce, e Consortio di Porta Procula*, Ex quo patet hanc Civitatem ferè contemporaneè cum Alma Urbe Roma S. Christi Evangelium amplexam fuisse,

ſe, eamque fore ex primis Italiæ Civitatibus, quibus lumen S. Catholicæ Fidei donatum fuerit, ſic diſponente Divina Providentia, quia Cives extemplò, & non cunctanter ipſam S. Fidem amplexi fuerunt, & conſtanter retinuerunt, & numquam Deo favente ab ea defecerunt.

Et ſicuti per Divum Appollinarem hæc Civitas primum lumen S. Catholicæ Fidei recepit, ita etiam in perenne grati animi Monumentum, eumdem S. Appollinarem Cives in Patronum ſibi elegerunt, Eccleſiamque illi dicarunt, quæ Eccleſia erat in Curia Palatii Communis Bononiæ, & anno Chriſti 1250. diruta remanſit, ut de exiſtentia, & everſione dictæ Eccleſiæ refert Fr. Leander de Albertis Ordinis Prædicatorum in primo lib. Decad. Hiſtor. Bonon.

Ordinatus fuit primus Epiſcopus Bononiæ S. Zama per S. Dionyſium Papam, & Martyrem, qui Pontificatum aſſumpſit anno 260., & obiit anno 271.; Unde patet, quòd Eccleſia BONON. fuit ſine Epiſcopo, uſque ad hæc tempora, & quòd antea, ipſa regebatur per Conſortiales Presbyteros, ut ſupra dictum eſt.

Sub Diocletiano, & Maximiano, cognomento *Herculeo* Imperatoribus, furente in Chriſti fideles perſecutione anno 296. vel circa, martyrio coronati fuerunt Bononiæ Hermes, Aggæus, & Cajus Cives illius, quorum beata corpora fertur condita eſſe in media Via modò dicta *di S. Vitale*, in loco, ubi nunc eſt, & olim erectum fuit à Nobili Familia de Sabbatinis quoddam Sacellum ex oppoſito Eccleſiæ Sanctor. Vitalis, & Agricolæ, ut indicat Lapis in pariete exteriori ejuſdem Sacelli, dictorumque Sanctorum Martyrum feſtum celebratur die 4. Januarii.

Qui tres Cives, & Martyres fuerunt Primitiæ, ſive Primum Holocauſtum oblatum D. O. M. numero Ternario perfectionem ſignificante, nempè Conſtantiam Civium in

Fide

Fide Catholica, à qua Divinæ Majeſtatis ſpeciali dono, nunquam defecerunt.

Sub eodem Maximiano Marino ejus Bononiæ Præfecto, Martyrii corona redimitus fuit Proculus Miles Bonon. qui extra Portam S. Mamæ in loco denominato *Valverde* Caput eidem obtruncatum propriis manibus ſuſcipiens, & verſus Civitatem remeans, prope mænia ſtetit, ubi ad ejus honorem, ac talis, & tanti prodigii Monumentum, erectum fuit Templum, in quo ejus Corpus reconditum fuit, & ubi etiam præſenti tempore conſervatur, ac Fideles illud venerantur in Capella DD. Comitum de Inſulanis, ejuſque dies feſtus celebratur die prima Junii.

S. Fauſtinianus Bonon. ſecundus Epiſ. ſucceſſit Sancto Zamæ, Imperantibus ſupradictis Diocletiano, & Maximiano, qui S. Epiſcopus hanc Eccleſiam perſecutione vexatam verbo prædicationis firmavit, & avxit, ejuſque feſtum celebratur die 24. Januarii.

Galerio, & Conſtantio Imperantibus circa annum Chriſti 298. Vitalis, & Agricola Cives Bononiæ, quorum prior poſterioris erat ſervus, Martyrii laureola redimiti fuerunt, quorum Sanctorum Corporum translationi, quæ facta fuit illinc ad 90. annos circiter, interfuit Divus Ambroſius Mediolani Epiſcopus, qui illa cum Ligno Crucis, & Clavis quibus Agricola crucifixus fuit, collocavit ſub Sacr. Altaribus in Eccleſia eiſdem Sanctis Martyribus dicata, & conſtructa impenſis S. Julianæ Viduę, & conſecrata ab eod. S. Ambroſio, quæ veneranda Corpora, deinde per S. Petronium Bononiæ Epiſcopum fuerunt translata in aliam Eccleſiam propinquam Divo Stephano dicatam, ubi etiam nunc venerandæ eorundem Reliquiæ, pro majori parte, publicæ Fidelium adorationi ſervantur, & de iis annua feſtivitas habetur die 4. Novembris.

Circa tempora Imperii dictorum Galerii, & Conſtantii,

tii, Florianus Miles cum quadraginta Sociis, in Civitate Eleutheropolis Paleſtinę, propter Chriſti teſtimonium, occiſus fuit, quorum Sanctorum Martyrum corpora Divus Petronius emit à Barbaris, & Bononiam ejus Sedem Epiſcopalem tranſtulit, illaque condidit in d. Eccleſia Sancti Stephani, ubi adhuc venerationi Fidelium ſunt expoſita; Et cum Cives ab immemorabili, inter tot dictos Martyres Socios unicum S. Florianum in Patronum elegerint, ejuſque beatum Corpus ſeparatim condiderint ſubtus Altare ad inſtar Montis Calvarii erectum in eadem Eccleſia Sancti Stephani, argui licet ipſum S. Florianum fuiſſe Civem Bononien., cujus feſtum agitur die 16. Decembris.

Conſtantinus Magnus, poſt mortem Conſtantii Cęſaris ejus Patris, qui nominabatur *Coſtanzo Cloro*, renunciatus fuit Imperator in Britannia anno 3. Olimpiadis 271. hic glorioſus Imperator ſummopere propagavit Fidem Catholicam, templaque Idolorum ſubvertit, eoque vivente, Indi, & Iberi S. Evangelium ſuſceperunt, ac ipſo jubente, celebrata fuit Sacroſancta Synodus Nicæna contra Arium Hæreſiarcam, & ejus Sequaces, quia alia quamplura mirabilia operatus fuit favore Catholicę Eccleſiæ, obiit anno ſecundo Olimpiadis 278. Feliciano, & Titiano Conſulibus, ut ex Socratis hiſtor. Eccleſ. lib. 1. cap. 40.

S. Baſilius ſucceſſit Sancto Fauſtiniano in Epiſcopatu, qui ordinatus fuit à S. Silveſtro Papa ſub Conſtantino Magno circa annum Chriſti 330. ejuſque feſtivitas habetur die 6. Martii.

S. Euſebius contemporaneus, & Amicus Sancti Ambroſii, ſucceſſit dicto S. Baſilio in Epiſcopatu circa annum 376., qui interfuit Synodo Aquileję contra Arianos; conſecravit Eccleſiam S. Proculi, & aliam Sanctor. Vitalis, & Agricolæ in Via S. Vitalis, ac Capellam Sanctor. Hermetis, Aggæi, & Caji Martyrum in d. Via ejuſque feſtum colitur die 26. Septembris.

Theo-

Theodosius nobili genere in Hispaniis natus anno 341. à Gratiano cum Juniore Valentiniano Imperante, Cæsar renuntiatus fuit anno 385. Jam pridem etiam ante designationem Gratiani dignus Imperio ab omnibus fuerat judicatus, propter multa in bello strenuè gesta ad comprimendam Barbarorum audaciam, qui tunc Imperium perturbabant; fuit autem electus Sirmii in Illirico sub Consulatu Ausonii, & Olibrii, Damaso Summo Pontifice, qui Liberio successerat; Novus itaque Imperator Theodosius fuit summæ Religionis, & fidelissimus Ecclesiæ Catholicæ, & ejus singularem pietatem S. Augustinus summoperè commendat, constat enim miraculosè Divino auxilio profligasse innumeros Barbaros, Templa Idolorum subverti fecisse, & humiliter se habuisse in correctione ei facta per Divum Ambrosium, ob stragem Thessalonicæ, hodie nuncupatę Salonicum, ipso jubente secutam ob gravissimam in dictà Urbe exortam seditionem; unde fabulosam prorsus esse quorumdam Scriptorum relationem asserentium hujusmodi stragem secutam fuisse de Civibus Bononię, & ipsam Urbem de ejusdem Theodosii mandato eversam fuisse quadam à se ficta causa, compertum pro certo habetur ex Histor. Ecclesiastica Sozomeni lib. 7. cap. 25. vixit hic gloriosus Imperator annis 60. Imperavit annis 16. mens. octo; obiit Mediolani ante diem 16. Calen. Januarias Olibrio, & Probino Consulibus anno primo Olimpiadis 294., scilicet anno Christi 401. Damaso Catholicam Ecclesiam Regente. Qui Imperator fuit Avus Paternus Theodosii Junioris, de quo infra fiet mentio.

Imperante igitur dicto Theodosio, vixit Bononiæ Sancta Juliana Vidua, Divi Petronii Probi Bononiæ Episcopi Amita, ac Soror Olibrii, & Probini, sub quorum Consulatu obiit dict. Theodosius, ac Sexti Petronii Probi Patris ejusdem Sancti Petronii. Nupta fuit in Etruria, & effecta

Vi-

Vidua, cum Filiis, & Familia Bononiæ domicilium sibi elegit apud Sepulcrum Sanctorum Martyrum Hermetis, Aggæi, & Cay, cumque Divus Ambrosius Bononię moram trahens invenisset corpora Sanctorum Martyrum Vitalis, & Agricolæ, ipsa piissima Vidua in honorem dictorum Martyrum proprio ære construi fecit Templum propè Cœmeterium Hebræorum, in quo dicta Sancta Corpora reperta fuere, qui locus tunc erat extra, & prope Civitatem, & nunc etiam supra Portam majorem d. Ecclesiæ extant in Lapide Imagines sculptæ dictorum duorum Sanctorũ Martyrum, in quarum medio est imago S. Ambrosii, quod Templum in præsenti est deSeptem Ecclesiis Basilicæ Sancti Stephani; Domus verò habitationis dictæ Sanctæ Viduæ Julianæ conversa fuit in Ecclesiam similiter dicatam eisdem Sanctis Martyribus in Via nuncupata S. Vitalis, cum autem dicta Sancta Vidua, post ejus obitum fuerit in Sanctorum numerum relata, majores nostri in ejus honorem Ecclesiam erexerunt extra Civitatem, & Ego qui hæc scribo, vidi in Camplonis Abbatiæ Sancti Stephani ab anno 1400. continentibus Vias Civitatis, in quibus extant AEdificia subjecta directo dominio dictæ Abbatiæ, fieri mentionem Viæ Sanctæ Julianæ, quæ ducebat ad Ecclesiam eidem Sanctæ Viduæ dicatam, quæ Via modò denominatur, *Braina di Fiacchilcollo*, illiusque beatum Corpus conditum fuit in dicta Ecclesia per ipsam viventem constructa, & à S. Ambrosio consecrata, & illinc fuit postmodum translatum in Capellam olim DD. de Leonoriis, nunc Nobilium DD. de Banciis, quorum impensa die 7. Februarii quotannis celebratur illius dies festus.

Anno autem 397. obiit Mediolani S. Ambrosius ejusdem Urbis Episcopus, qui fugiens Arianorum insidias, Bononiam se recepit, & invenit dicta Sancta Corpora Vitalis, & Agricolæ. Plures Virgines Bononinses à S. Eu-

sebio

ſebio noſtro Epiſcopo Mediolanum tranſmiſſas velavit, ac laudibus melliflui oris ſui in ſcriptis extulit; & quia hanc Civitatem, & Cives ejus ſingulariter diligebat, poſt antedictam Teſſalonicæ ſtragem, timens hanc Urbem aliquando in ſimile infortunium incidere poſſe, Anathematezavit quoſcumque Reges, & Potentes, qui manu armata hanc Urbem intrarent; hujuſmodique Anathematis Exemplar affigi fecit ad Mœnia exteriora Civitatis ejuſdem, & hinc fortè Originem ſurripuit fabuloſa relatio, quod hæc Civitas fuerit everſa à dicto Theodoſio, quod factum omninò erroneum fore ex Hiſt. Sozom. ſupra relata pro certo liquet, & propter hæc, & alia plura beneficia, poſt glorioſam mortem ejuſdem Divi Ambroſii, Majores noſtri illum ſibi in Patronum elegerunt, Templumque extra Urbem ad ejus honorem erexerunt, & uti Patrono aliud Templum cum Turri, & Curia dicarunt intra Civitatem in loco tunc nuncupato *la Corte di S. Ambrogio*, quod Templum cum Curia, & Turri anno 1390. dirutum fuit, occaſione novam perinſignem conſtruendi Baſilicam Divo Petronio dicatam.

At quia diſſimulari non poteſt, Bononiam, & alias circumſtantes Urbes multorum annorum curriculo, & uſque ad tempora Theodoſii Junioris, taliter conſumptas extitiſſe, ut idem S. Epiſcopus Ambroſius non dubitaverit eas vocare Cadavera potiùs, quàm Urbes, nullus tamen id conjicere poteſt eveniſſe facto Theodoſii Senioris, ſed potius Conſtantini Magni, qui fortè Bononiam, Mutinam, aliaſque Urbes circumſtantes deturbari fecerit, eo quia adhæſerint Maxentio Maximiani Herculei filio, qui eodem vivente, Imperium arripere avſus fuit, & Tirannidem exercuit, & certè Bononienſes eidem Maxentio valde faverunt, nam Columnam in ejus honorem erexerunt, cujus fragmentum, etiam nunc reperitur in Palatio DD. March. de Bologninis.

S. Felix origine Mediolanensis, Discipulus, & Diaconus S. Ambrosii, successit Sancto Eusebio in Episcopatu hujus Ecclesiæ, concessitque S. Paulino Episcopo Nolano partem Sanctorum Corporum Proculi, Vitalis, & Agricolæ, ac dono obtinuit Monasterium S. Mariæ Montis Palensis vulgariter nuncupatum *Montovalo*, & obiit anno Christi 429., ejusque anniversarium festum recurrit die 4. Decembris.

Qui omnes Sancti Episcopi Bononiæ, usque ad hæc tempora, Sedem Episcop. habuerunt apud Ecclesiam Sanctorũ Naboris, & Felicis, quæ tunc erat extra Civitatem ad Occidentem.

S. Petronius Filius Sex. Petronii Probi Annicii ex Præfectis Prætorii, & ex Consulibus ordinariis, ordinisque Procerum, & Domicellorum Romanorum, & Constantinopolitan. successit in Episcopatu Sancto Felici; nam anno Christi 430. monitu S. Petri Apostolorum Principis, à Cęlestino Pontifice Romano hujus nominis Primo consecratus fuit Bononiæ Episcopus, Vir quidem Sanctæ vitæ ab ejus infantia, ac valdè doctus, fertur enim ipsum composuisse Vitas Sanctorum Patrum, & Opusculum de Ordinatione Episcopi; Sed quisnam narrare poterit Pietatem, Charitatem, ac Virtutem tanti Viri, ac innumera beneficia erga hanc Urbem, & Cives ejus?

A Præfectura Prætorii Sacratissimi, & Piissimi Imperatoris Theodosii Junioris miraculosè translatus ad Regimen hujus Ecclesiæ, elegit pro sua Episcopali Sede Ecclesiam ab Amita sua S. Juliana ædificatam, ac dicatam dictis Sanctis Martyribus Vitali, & Agricolæ, & à S. Ambrosio consecratam, in qua condita erant beata Corpora dd. Sãctor. Martyrum, & d. Sanctæ Julianæ, tunc positam extra Civitatem ad Orientem, quam Ecclesiam ipse dicavit Principibus Apostolorum, ibique alias sex construxit Ecclesias sub

invo-

invocatione S. Stephani Protomartyris, & aliorum Sanctorum, ac Doctrina, & frequenti prædicatione à Civium cordibus fugavit reliquias erroris Arii, & ut in eisdem Civibus pietatem erga Deum insereret, in medio dictarum Ecclesiarum erexit locum, & Altare ad similitudinem Montis Calvarii, & subtus illud, posuit exactissimum Exemplar Sepulcri Sanctissimi REDEMPTORIS Nostri, Columnam, Atria, Cænaculum, & alia Sanctorum Locorum Exemplaria, ut jugis foret nostræ Redemptionis, & ipsius Divini REDEMPTORIS memoria; unde per secula subsequentia, dictæ Septem Ecclesiæ, quæ invicem sunt conjunctæ, denominatæ fuerunt Hierusalem, quia ab ipso S. Episcopo fuerunt donatæ plurimis, & insignibus Sanctorum Reliquiis, & spiritualibus Thesauris à dicto Cęlestino Primo obtentis; & ultra Basilicam dd. Ecclesiarum, in aliis partibus etiam hujus Civitatis construi fecit d. S. Episcopus plura alia Templa, videlicet in parva distantia à dicta Basilica duas Ecclesias, unam S. Teclæ Protomartyri in Via ab eo denominata *Valle di Giosafatto*, ubi etiam separatim erexit Crucem, quæ ædificia, etiam nunc conservantur; alteram parum distantem Sancto Joanni Evangelistæ dicavit in loco ab eo nominato *Monte Oliveto*, & nunc dicto *S. Gio. in Monte*. Ad Portam Ravennatem duo Templa, unum Divo Bartholomæo Apostolo, alterum Divo Marco Evangelistæ. In Via Castilionea alia duo, unum scilicet Divæ Agathæ V., & M., alterum Divæ Luciæ pariter V., & M. Ad Portam Soteram, sivè *Steriam* alia duo, unum Sanctis Martyribus Fabiano, & Sebastiano, alterum Sanctis Martyribus Gervasio, & Protasio, & insuper in Via vocata *Barbaria* ad Portam Proculam duas ædificavit Ecclesias, unam Divo Martino Episcopo, & Confessori, alteram Divo Barbatiano Confessori, qui Ravennæ, ipso Petronio hanc Ecclesiam regente, miraculis clarus anno Christi 444. ad Cœlum mi-

gravit ; Ex quibus comprehenditur expressus piissimi Antistitis animus commendandi Civitatem hanc, & Cives incolas tutelæ, & patrocinio Sanctorum Apostolorum, Evangelistarum, Virginum, Martyrum, & Confessorum Cœlestis Hierusalem.

Restauravit quoque Capellas quatuor Crucium, illasque ornavit Sanctorum Reliquiis; Nec tamen hic finis pietatis tanti Viri; quippe cum invenerit hanc Urbem ferè totam eversam, propter Incendia, & Barbarorum prædationes, sive jussu Constantini Magni, propter favorem à Bononiensibus præstitum Maxentio Tyranno, sive ob aliam causam, quam non expressit Divus Ambrosius, qui hanc Urbem pluries habitavit, sed tantùm eam assimilavit Cadaveri, ipse S. Episcopus Petronius obtinuit à piissimo, & numquam satis Laudato Imperatore Theodosio Juniore illius reædificationem, & ampliationem, quæ fuit facta per eumdem Theodosium intuitu ejusdem Sancti Petronii, qui Imperialibus Censibus, & etiam proprio ejusdem S. Episcopi Ære spirituali, & temporali Regimen hujus Urbis habentis, illam reædificavit, & ampliavit, usque ad illa antiqua Confinia, quorum aliqua etiam nunc existunt nuncupata *Serragli*, *e Torresotti*; & sic restauratam, & ampliatam idem Theodosius decoravit admodum insigni Privilegio universalis Studii literarii, cujus Exemplar habetur in Archivo Cameræ Communis Bonon., ac alibi, & hinc ipsa Civitas MATRIS STUDIORUM gloriosum Agnomen adepta est, per universum Terrarum Orbem illo celebri Axiomate, undequaque illustrata – BONONIA DOCET.

Demùm S. Episcopus amantissimus Pastor, Princeps, ac Pater hujus Urbis, miraculis clarus in sua Sede Episcopali ad Cœlum migravit dicto Theodosio, & Valentiniano Regnantibus, ejusque beatum Corpus conditum fuit in eodem Monumento, quo conditum erat Corpus S. Floriani subtus

tus Altare Montis Calvarii; & cum fuerit in Sanctorum numerum relatus, Majores nostri meritò illum in principalem Patronum cooptarunt, ac Templum ad ejus honorem erexerunt extra Urbem, quod fuit in loco, ubi nunc extat Via publica nuncupata *di S. Petronio Vecchio*, sub parœcia S. Blasii, quod Templum anno 1260. per Commune Bononiæ fuit concessum RR. Fratribus Conventualibus Sanctæ Mariæ Servorum, qui anno 1345. eorum Conventum ampliarunt usque ad Stratam majorem super Terreno vacuo, & quodam Monasterio olim ibidem constructo per D. Mesinam de Lambertinis eisdem Fratribus, largitione clarę memoriæ D. Thaddæi Pepuli tunc Bononiæ Domini concesso, ubi Templum valdè magnificum erexere. Priscum verò Templum Divo Petronio dicatum, & dictis Fratribus concessum, processu temporis neglectum diruit, & illius Solum per plura secula stetit vacuum, donec anno 1500. fuit à prædictis RR. Fratribus occūpatum Ædificiis plurium domorum super eo constructis in d. Via.

De hujus Sancti Episcopi origine, sanctimonia, & operibus multi Scriptores antiqui, & moderni erudita publicarunt Monumenta; sed nuper diligentius, ac dissertissimè scriptum est ab Eruditissimo Domino Co. Valerio de Zanis Equite Patritio Bononiæ in Libro, cui Titulus -- *Vita di S. Petronio* -- impresso Bononiæ anno 1680. in Typographia Manolessiana, cujus Historiæ fides indubia meritò est habenda.

Anno verò Christi 450. obiit d. Theodosius Junior Arcadii filius, qui post mortem Patris obtinuit Imperium anno 414., & ortum habuit anno 406., cui Patria perenni gratitudinis vinculo devincta est, quamvis nullum prorsus tanti benemeriti Principis in hac nostra Civitate ab ipso reædificata, ampliata, & decorata, appareat quantumvis minimum grati animi Monumentum.

Anti-

Antiquus autem ambitus hujus Urbis, antequam à prædicto Imperatore Theodosio reædificaretur, & ampliaretur, comprehendebatur, ab Oriente à Trivio Portæ Ravennatis inclusivè, usque ad Pontem *Feri*, ubi modò est Ecclesia SS. Cosmæ, & Damiani. Ab occidente à Trivio Crucis Sanctorum, usque ad Trivium Portæ Castelli. A meridie ab eodem Trivio Crucis Sanctorum, ad dictum Pontem *Feri*, & à Septentrione à dicto Trivio Portæ Castelli ad Plateolam SS. Simonis, & Judæ, & inde ad dictum Trivium Portæ Ravennatis.

Confinia verò Territorii ejusdem Civitatis à prædicto Imperatore Theodosio præscripta, & expressa in dicto ejus Privilegio publicę Studiorum Universitatis supra memorato sunt infrascripta, nempè.

Sicuti ab Orientali parte decurrit Sanubium, seu Senium de Alpinis nivosis in Vallibus Padi, & in ipsa Aqua Padi; Et sicuti à Meridionali parte hæc protenduntur, usque ad Alpes Scalarum; Et sicut ab Occidentali parte currit Leo de Alpibus in Scoltennam, Et sicut Scoltenna, seu Panarium defluit in Padum; Et sicut à Septentrionali, vel ab Aquilonari parte decurrit Padus, usque ad Badalenum: Præcipimus, & Volumus, & Jubemus de Districtu Bononiæ permanere. Hoc salvo; quòd si Ferrariola, quæ de Ducatu Comaclensi consistit, ultra Padum pertransire voluerit, ei hinc ad duos annos peremptoriè liceat pertransire, & Civitatem ædificare; ita tamen, quòd in ipsa Aqua Padi non liceat ei aliquod ædificium Lapideum attentare; sed solùm iter præbeant securum per Aquas Padi, & in Vallibus ejusdem sine aliqua datione muneris euntibus omnibus, & redeuntibus per Civitatem, & loca prædicta omni tempore, ob reverentiam Crucifixi, & propter Imperii Celsitudinem cognoscendam, ad quam pertinet redditus Padi Fluminis, & Aquarum; Et hoc ad postulationem Summi Pontificis Cœlesti-

lestini; aliòquin sub Jurisdictione, & protectione Rectoris, & Communis Bononiæ debeant permanere.

Sub Pontificatu Vigilii, qui assumptus fuit anno 540. S. Proculus Episcopus Interamnis, jussu Totilæ Gothorum Regis Arianæ Sectę primarii Fautoris capite plexus fuit Bononiæ, ejusque sacrum Corpus conditum fuit in eadem Ecclesia, & in ipsamet Urna, ubi dudùm conditum fuerat Corpus alterius S. Proculi Militis Bonon., hujusque Sancti Proculi Episcopi, & Martiris festum celebratur die prima Decembris.

Anno Christi 615. obiit Bononiæ S. Isidorus Episcopus Ispalensis Ordinis S. Benedicti, qui multa Scripta reliquit, doctrina, & sententiis clara; enumerat hic S. Doctor septuaginta Sectas Hęreticorum, quæ contra Ecclesiam, usque ad illud tempus surrexerant, & damnatæ fuerant à Sanctis Patribus; hujus autem Sancti Episcopi venerandum Corpus conditum fuit, in dicta Basilica S. Stephani, ubi venerationi Fidelium, etiam nunc asservatur, ejusque dies festus celebratur die 18. Septembris.

Cum autem mihi visum sit Nativitatem, & Originem hujus Vetustissimæ, & Nobillimæ Urbis Ætatum calculo, & authoritatibus præmissis satis superque, quantum Vetustas ipsa permittit, sub initio Tertiæ Mundi Ætatis comprobatam esse, supervacaneum existimavi ulteriora notabilia ejusdem Urbis referre, tùm quia copiosè de illis plures Scriptores mentionem fecere, tùm, & potissimum, quia finis hujus brevis Commentarii fuit indicare tantùm, ac à tenebris eruere primævam Originem ejusdem Urbis, & compendiosè describere, usque ad hæc tempora, Status illius vicissitudines.

Ex jam dictis igitur clarè constat hanc Nobillimam Civitatem fuisse Sedem, & Principem ab ejus ortu Regum Etruscorum Aboriginum in Tertia, Quarta, & partim in

Quin-

Quinta Mundi Ætate, nempe usque ad annum Mundi 3509. Subactam deinde à Gallis Boys in dicta Quinta Mundi Ætate eisdem paruisse usque ad annum Mundi 3905. quo anno, Gallis expulsis, devenit Colonia Romanorum, & successivè ipsis Romanis Consulibus, & Imperatoribus, ac Italiæ Regibus obtemperasse, usque ad Sextam, & ultimam præsentem Ætatem; in qua post annum 407. à Christo nato (ut refert Sigonius) hæc Civitas fuit occupata à Gothis, deinde recepta à Justiniano Imperatore, & possessa à suis Successoribus, quibus paruit, quousque Luitprandus Longobardorum Rex eam occupavit anno 727.

Recepta deinde fuit à Pipino Rege Caroli Magni filio, qui Carolus eam cum Exarcatu donavit Pontifici anno 817.

Ludovicus Lotharii filius hanc Urbem sibi parere reluctantem muris exuit anno 844.

Berengarius Rex fuit Bononiæ anno 898. Bononius Civis Bononien. ex Monachis Camaldulensibus Abbas Loceden. inter Sanctos relatus fuit, cujus festum celebratur die 30. Augusti.

Cives defecerunt ab Henrico III., & partem Ecclesiæ tenentes libertatem instituerunt anno 1088.

Parisius Bononien. ex Monachis Camaldulen. Taurisii obiit, & in Sanctorum numerum fuit relatus, ejusque festum celebratur die 11. Junii.

Idem Henricus in hac Civitate Arcem construxit ad coercendam Civium contumaciam, quam Arcem paulò post Cives everterunt, eamque rem Henricus ignovit, & ut leges mores, & consuetudines suas servare illis liceret indulsit anno 1116.

Eodem anno Comitissa Methelda Neptis ejusdem Henrici Imperatoris obiit, quam fertur ædificasse Castrum Bazani, restaurasse Ecclesiam, & Monasterium S. Bartho-

lo-

lomæi de Mussiliano, & alia Oppida in Agro Bonon., Heredemque instituisse Ecclesiam Romanam.

Lambertus Fagnanus Bononien. creatus fuit Pontifex, & vocatus Honorius II. anno 1120.

Cives Lotharium Regem in Italiam venientem contempserunt anno 1133.

Hæc Civitas fuit prima, quæ per Irnerium Jus Civile in Italia publicè docuerit anno 1137.

Gherardus Caccianemicus Bonon. creatus fuit Pontifex, & vocatus Lucius II. anno 1144.

Guarinus Bononien. Ordinis Canonicorum Regularium creatus fuit Cardinalis anno eodem, qui cum esset Episcopus Prænestinus, post ejus mortem, in Sanctorum numerum fuit relatus, & ejus festum celebratur die 6. Februarii.

Pars Civitatis casuali incendio consumpta fuit anno 1147.

Fridericus Rex de Statu Italiæ consulturus, in primis adhibuit Juris Consultos Bononienses anno 1158.

Per Bozum Præfectum Friderici Imperatoris explanatæ fuerunt foveæ, & Mœnia vetera partis hujus Civitatis, nempè ab Occidente, apud Forum lignarium S. Francisci, & ab Oriente, apud Forum lignarium Stratæ majoris, quia ampliori giro, vallo, & foveis Civitas jam aucta erat in Burgis ejus.

Translata fuit Imago B. V. MARIÆ à Divo Luca Evangelista depicta ad Montem dictum *della Guardia* anno 1160., ut patet ex documento publico, cujus Originale asservatur penes RR. Moniales S. Matthiæ, & transumptum illius reperitur descriptum in Archivo Cameræ Communis Bononiæ in lib. 4. in Scrineo num. 43., quod documentum est tenoris sequentis.

Anno Domini Millesimo Centesimo Sexagesimo die 8.

intrante Madio. Actum in Monte de Guarda sub Heremitatico Dominę Azolinæ, & Beatrixiæ, præsentibus D. Rambertino de Guezis. D. Marchexinus Ottonellus Judex, D. Angelottus de Ursis, & alii plures Testes. Dominus G. Episcopus Bononiæ dedit, & aßegnavit suprascriptis Azolinæ, & Beatrixiæ unam Capsulam de ligno cum Tabula, ubi picta est Imago B. MARIÆ manu B. Luchæ Ev., quam portavit de Constantinopoli in Civitate Bononiæ Theoclys Kmnia Heremita, nationis Græcus, ibi præsens ad conservandam, tenendam, & custodiendam in Heremitatico de Monte de Guarda pro se, & earum Successoribus in dicto Heremitatico ad honorem Dei, & d. Imaginis. Prænominati Dominus Episcopus, & Theoclys Heremita hoc Instrumentum assignationis, ut supra legitur scribere rogaverunt. Ego Vitalis Bilicię Dei gratia d. Domini Episcopi Notarius interfui, & hanc Cartam Instrumenti consignationis rogatus scribere scripsi, & sigillavi cum Sigillo d. Domini Episcopi Indictione Octava.

Cives, & Artifices, deposito Jugo Imperatoris, & Episcopi, libertatis avidi, præfecerunt Regimini Civitatis septem Viros, quos Consules vocarunt anno 1174.

Hildebrandus Grassius Bonon. S.R.E. Card. Diaconus, creatus ab Eugenio III., fuit Episcopus Mutinæ, & ejus opera, inita fuit Pax inter Bononien., & Mutinen. Obiit Vincentiæ cum esset Legatus S. Sedis Apostolicæ anno 1178.

Fridericus Imperator fuit Bononiæ anno 1185. Henricus V. Rex fuit Bononiæ hospitio exceptus in Episcopio, & Jus cudendæ Monetæ Civitati concessit anno 1191., quod Jus antea, Regnante Desiderio Longobardorum Rege, ipsam Civitatem jamdiu habuisse pro certo constat.

In societate Exercitus Ecclesiæ, Cives recuperaverunt Romandiolam anno 1198.

Ædi-

Ædificium Palatii Veteris Commun. Bononiæ reædificatum, & exornatum fuit, ubi nunc habitant Prætor, & Auditores Rotæ anno 1201., in quo Palatio Consilium pro Gubernio Reipublicę Majores nostri habuerunt.

Constructa fuerunt Mœnia super foveis ab Oriente, & Occidente anno 1206.

Factus fuit Aquæductus à Flumine Rheni ad Civitatem, & constructa fuerunt nonnulla Molendina super illo propè ipsam Civitatem anno 1208.

Mercatum Animalium translatum fuit penes Civitatem ad Septentrionem, ubi nunc est, cum priùs fieret ad Flumen Rheni in contrata S. Bartholi, loco nunc vocato *da S. Bartolomeo di Reno*, & facta fuerunt Molendina, apud dictum Mercatum, ubi nunc sunt, anno 1219.

Pro Residentia Fratrum Minorum Sancti Francisci, Cives cęperunt Ecclesiam, & Conventum, apud Forum lignarium ad Occidentem, quibus Fratribus ante hoc tempus concessa fuerat Residentia in loco dicto *le Puglio-le*, ubi nunc degunt Moniales Sanctorum Bernardini, & Marthæ, ibique adest Sacellum, in quo S. Antonius Patavinus degebat anno 1221.

Eodem anno obiit Bononiæ S. Dominicus Calarogensis Fundator Ordinis Prædicatorum, Astrum splendidissimum in Ecclesia Dei, malleusque Hæreticorum Albigensium, ejusque sanctum Corpus conditum fuit eum maxima solemnitate, & Populi frequentia in Ecclesia Sancti Nicolai *dalle Vigne*, quæ Ecclesia, & locus per Commune Bononiæ, eidem B. Dominico pro Residentia Fratrum ejus Ordinis, plures ante annos concessus fuerat, & ubi dictus B. Dominicus vivens construere cęperat Ecclesiam, & Conventum pro Residentia ejus Fratrum, qui primùm possederant Ecclesiam S. MARIÆ de Mascherella, ac talis fuit Populi concursus ad Sepulcrum dicti B. Do-

minici, & tam longo tempore, ut quædam Via, quæ ducit ad dictam Ecclesiam, etiam de præsenti vocatur *la Via del Santo*, cujus dies festus celebratur 4. Augusti.

S. Franciscus de Assisio Fundator Ordinis Minorum, fuit Bononiæ, & in Plateis fecit verbum Populo anno 1223. sed brevissima mora, ob magnificentiam novi Templi, & Conventus, ejus Angelicæ Humilitati non consentaneam; In ipso enim Seraphico Viro emicabat perfectio Vitæ Apostolicæ, nempè humilitatis, paupertatis, & charitatis, unde jure merito vocari meruit verus Discipulus, & exemplar Sanctissimi REDEMPTORIS, dum ejus Mater illum parere nequivit, nisi in Stabulo; Duodecim Fratres sub initio Ordinis habuit suarum Virtutum Æmulatores, quorum tamen unus laqueo se suspendit ad similitudinem Apostolorum Christi, & quia demum ante felicem ejus obitum meruit donari Sacris Stigmatibus ejusdem Sanctissimi REDEMPTORIS nostri.

Anno 1226. cum Populus valdè excrevisset, ambitusque Civitatis veteris, & novæ illum non caperet, ampliori giro ipsam Civitatem in omnibus partibus Cives ambierunt,& Suburbia foveis cinxerunt,quin anno altero ipsas foveas valido palancato vallarunt.

Cæptum fuit Ædificium Palatii novi Communis Bononiæ, apud domos illorum de Lambertatiis, ubi nunc resident Eminentissimus Card. Legatus, Illustrissimus, & Excelsus Senatus, ac Regimen anno 1246.

Anno 1249. cum Cives Viribus, & amplitudine Populi, ac Opibus pollentes Imperatori Federico II. obtemperare abnuerent, immò Mutinam Imperio parentem, & Imperii Viribus confidentem bellis assiduis fatigarent, idem Federicus Henricum Sardiniæ Regem ejus filium Hentium nuncupat. in subsidium Mutinensium, & ad coercendam Bononiensium audaciam transmisit,quem Regem

cum

cum valido, & potenti Exercitu hanc Urbem invadere nitentem Gloriosi Majores nostri, apud Pontem S. Ambrosii in finibus Agri Mutinen., viriliter occurrentes, fuso ejus Exercitu, Antonius Lambertatius Civis noster strenuus captivum fecit, illumque cum pluribus suis Principibus, & Optimatibus etiam Italicis ad ejus auxilium accitis, Bononiam duxit, quem Regem sic captivum, Annis plusquam duobus, & viginti in Prætorio Bononiæ, spretis Viribus, & Imperii potentia, usque ad ejus obitum, honesta custodia Cives manciparunt in Aula antedicti Prætorii, ipsius Regis Hentii adhuc cognomine insignita.

Anno 1255. facta fuit electio primi Capitanei, & Prætoris Bononię, qui planas fecit foveas antiquas Civitatis, propter novum ambitum.

Anno 1257. Manumissi fuerunt omnes Servi, & Ancillæ Civitatis, & Comitatus Bononię, ut in lib. nuncupat. *Paradisus*, qui asservatur in Archivo Cam. Com. Bonon.

Anno 1271. obiit Rex Hentius, & honore Regio illius Cadaver conditum fuit in Templo Divi Dominici.

Cum autem inter Cives, & quidem nobiliores, discordia orta fuerit privatis æmulationibus agitatos, cum tunc temporis, per totam ferè Italiam ob scandalum Imperatoris Friderici II. contumacis, & inimici Ecclesiæ, duę Factiones surrexerint tenentes altera partem Ecclesiæ, & altera partem dicti Friderici; Ita etiam in hac Urbe Familiæ Lambertatiorum partem Imperii sustinere conabatur, Familia verò Hieremiensium è contra partem Ecclesiæ; Et cum hujusmodi Familiæ essent ex nobilioribus, & potentioribus Civitatis, in eamdem discordiam traxerunt ferè universos Cives, & qui tenebant partem Imperii dicebantur Ghibellini, qui verò partem Ecclesiæ vocabantur Anguelphi; unde effectum est quod anno 1274. cujusdam

De-

Decreti causa, ortum fuit Bellum civile, quod totam Rem publicam agitavit, & subvertit. Pugnatum, enim fuit atrocissimè inter Cives, diebus sexaginta continuatis Ferro, Igne, & Machinis; multi perempti, ædes plurimę incensæ; tandem Pars Lambertatiorum terga dare compulsa est, & Patriam deserere. Exilio mulctati fuerunt Duodecim millia Virorum Factionis Ghibillinorum, hujusmodique computum habetur in Commentariis d. temporis apud pub. Archivum, in quibus Commentariis seriatim, per paręcias nomina, & cognomina proscriptorum Ghibillinorum exprimuntur; Nec tamen hìc finis malorum; Nam prefati exules, cum se receperint in Civitates Flaminię, & auxilium Optimatum circumstantium eorum Factioni adhærentium obtinuerint, adeò bellis, incursionibus, & stragibus Commune, & Territorium Bononię fatigarunt, ut ipsi Cives non confidentes propriis Viribus, se cum Ecclesia conjunxerunt, & cum auxilio prędicto, Exules prefati penitus deleti fuerunt, in quo Bello, non sine dolo interemptus fuit Faventię dictus Antonius Lambertatius Civis strenuus, qui captivum fecit Regem Hentium, propter quam Victoriam, ex parte Hieremjensium reportatam contra dictos Concives Lambertatios, ex Sen. Cons. quotannis die festo S. Bartholomęi Apostoli in Foro magno hujus Urbis agitur Populare Ludricum; Sed proh pudor! dum ex tam atroci tot Civium cęde, majori ex parte Civitas ipsa consumpta extitit; unde potius cum fletu, & lacrimis, quàm aliter esset tale, ac tantum excidium deplorandum, & memorandum, cum ipsa Civitas post Bellum civile prędictum, ad pristinam Populi amplitudinem, Civium Nobilitatem, Virium potentiam, ac Libertatis gloriam non valuit amplius pervenire.

At tamen, ò felix, & Gloriosa Patria, quę tot, ac tantis Cœlestibus beneficiis donata fuisti. Ab incunabulis enim

per

per annos mille quingentos, & ultra, cum Princeps Etruriæ esses, Regia Majestate perfulsisti. A Gallis in societatem recepta, gloriosè de Alma Urbe Roma capta, & incensa triumphasti: Effecta postmodum Romanorum Latina Colonia, à Consulibus, & Imperatoribus ornata fuisti. Cum lumen Catholicę Fidei per os Appollinaris S. Ravennæ Episcopi, tibi effulsit, non cunctanter, sed extemplo ipsam S. Fidem recepisti, ac ab ea numquam defecisti. A Divo Ambrosio singulariter dilecta, & protecta, Petronio Principe, & Patre amantissimo de Cœlo donata fuisti. A Theodosio II. privativè quoad Universas totius Imperii Orientalis, & Occidentalis, etiam amplissimas Civitates, per insigni Studii Literarii Privilegio decorata, semper fidelissima Ecclesię extitisti, ita ut pro ea tutanda propriis tuis filiis Factionis Ghibellinę non pepercisti; unde peculiarem SS. VIRGINIS MARIÆ tutelam, & patrocinium meruisti, dum ejus S. Imaginem à Divo Luca depictam, à Constantinopoli huc miraculosè translatam super tuo Monte de Guarda collocari, & servari disposuit; Quapropter Cives tui Divino afflati spiritu, ad tollendas Concivium æmulationes, Te, & Se Ecclesiasticæ Majestati, & Patrocinio feliciter commendarunt, sub quo à multis seculis quietè, & pacificè vivis. Patria mea igitur semper Gloriosa, quousque majorum tuorum Pietatem erga Deum, & Sanctissimam Virginem, Sanctosque antiquos, & modernos per Te electos Patronos servabis, illorumque, & aliorum, quorum beata Corpora in Te quiescunt venerationem, & cultum promovebis, pro certo habeas Divinam Opem, tranquillum, & pacificum Statum, ac Vetustissimam Tui Gloriam unquam fore defuturam.

Expletum fuit hoc breve Commentarium SS. D. N. D. Clemente XI. Pont. Opt. Max. ex vetustissima Albanorum progenie feliciter Regnante Anno Pontific. ejusd. XIII.

LAUS DEO.

Vidit D. Augustinus Maria Alfieri Cler. Regular. S. Pauli, & in Ecclesia Metropolitana Bononiæ Pœnitentiarius Rector pro Eminentissimo, & Reverendissimo Domino D. Jacobo Cardinali Boncompagno Archiepiscopo Bononiæ, & S. R. I. Principe.

Jussu Reverendissimi P. Inquisitoris, Ego infrascriptus vidi, & attente perlegi laboriosam hanc, nec minus ingeniosam Disquisitionem, in qua Auctor Patriæ suæ amantissimus Civis veram Bononiæ ORIGINEM hucusque incertam, clarissimè arguit ex Annorum Computatione constituentium, Ætates à Creatione Mundi, usque ad Redemptoris Adventum; Eam autem reperi omninò consonam Fidei, ab omnibus antiquæ Eruditionis Cultoribus plenissimè excipiendam, & idcircò publicis Typis donandam censeo.

Carolus Antonius à Fratre J. U. D. Examinator Synodalis, & Perinsignis Basilicæ Collegiatæ S. Petronii Canonicus m. p. *Die* 24. *Augusti* 1716.

Attenta supradicta attestatione.

IMPRIMATUR.

Fr. Jordanus Vignali Inquisitor Bononiæ.

10051542

10051342

10051542